


# PALAESTRA

# LATINA



ANN. XXXIX (Fasc. III) - N. 207  
M. SEPTEMBRI — A. MCMLXIX

# PALAESTRA LATINA

## Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

*Praeses*: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator*: Henricus Arenas, C. M. F.  
*Moderator*: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus*: Jesus Aspa, C. M. F.  
*Praecipui scriptores*: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Premium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>o</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetas; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

## Editur Ordinarii et Superiorum licentia

## INDEX

ANN. XXXIX (Fasc. III) - N. 207

M. SEPTEMBRI — A. MCMLXIX

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F., <i>De Sebastiano Brant nobili scriptore Argentoratensi</i> (1457 - 1521) ... ... ... ... ... ... ...	97
R. SARMIENTO, C. M. F., <i>Cous et Caus</i> ... ... ... ... ...	109
P. FUENTES VALBUENA, C. D., <i>Hymni instaurandi Breviarii Romani</i> ... ... ... ...	115
J. MARINELLI, <i>De re cosmonautica</i> ... ... ... ...	123
M. MOLINA - A. PAGANO, <i>XX Certamen Capitolinum</i> ... ...	129
G. WALLNER, <i>Pabulum mentis</i> ... ... ... ...	131
BIBLIOGRAPHIA, M. Molina, C. M. F., Petrus Herranz, C. M. F.	135

# P A L A E S T R A      L A T I N A

L I T T E R A R U M    L A T I N A R U M    C O M M E N T A R I I

A    S O C I I S    C L A R E T I A N I S    E D I T I

---

ANN. XXXIX (FASC. III) — N. 207

M. SEPTEMBRI

A. MCMLXIX

---

## DE SEBASTIANO BRANT NOBILI SCRIPTORE ARGENTORATENSI

(1457-1521)

Paucis abhinc annis commentationem de Sebastiano Brant scripsi Argentoratensi omnium gentium conventui de lingua latina restituenda propositam, quae postea in Actis recepta est<sup>1</sup>. Postea de eodem scriptore diu multumque investigavi, primum Oxonii Londinique, deinde Parisiis, Basileae atque Argentorati. Earum tamen rerum, quae a me investigata et scripta sunt, nonnulla jam prodierunt<sup>2</sup>, pars vero praecipua, juxta horatianum illud, membranis intus positis, nonum in annum premitur<sup>3</sup>. Nunc autem *Palaestrae Latinae* lectoribus quid de hoc scriptore sentiam breviter sed aperte offerre visum est, ita ut hujus argentoratensis scriptoris gloriam quasi e tenebris in lucem proferam, ipsiusque clarum nomen ac decus magis in dies splendeat.

Quaecumque dicam dupli partitione complectar. Agam igitur

---

1. *Troisième Congrès International pour le Latin Vivant*. Strasbourg, du 2 au 4 Septembre 1963. Aubanel, Avignon, 1963, pags. 83-90.

2. *Sebastián Brandt y el «Liber Faceti»*, «Revista de Archivos, Bibliotecas y Museos» 72, 1964-1965, 301-353; *El «De Origine» o Historia de Jerusalén de Sebastián Brant*, «Salmanticensis» 15, 1968, 435-463.

3. Cf. HOR., *Ars Poet.* 388-389.

primum de ipsius Sebastiani Brant vita et operibus; deinde de «Stultifera Navi», opere praecipuo ab eo typis mandato, cui index est germanicus «Das Narrenschiff», vi cuius auctor ubique terrarum claruit.

## DE SEBASTIANI BRANT VITA ET MORIBUS

Ad latinam linguam nunc temporis instaurandam et ad eam communem inter doctos homines efficiendam, maximi momenti est scriptorum renascentium litterarum exemplum et cultum maxime fovere eosque inter adulescentes promovere, una cum classicis scriptoribus, quippe quibus in deliciis fuerit de omni re latine scribere, ideoque in eis verborum copia inest ad latinam linguam in hodiernos usus facile aptandam.

Eorum scriptorum sunt multi, qui sua ipsorum aetate magnam consecuti sunt laudem, quippe nunc etiam non mediocri fruuntur laude gloriaque. Ita, exempli causa, Petrarcha (1304-1374), Laurentius Valla (1407-1457), Pontanus (1426-1503), Massilius Ficinus (1433-1503), Antonius Nebrissensis (1444-1503), Erasmus (1466-1536), Budaeus (1468-1558), Thomas Morus (1478-1535), Scaliger (1484-1558), Beatus Rhenanus (1485-1547), Joannes Ludovicus Vives (1493-1540), Petrus Rammus grammaticus (1515-1573), quorum opera de vario argumento et genere notissima sunt.

Sed illius aetatis nonnulli sunt etiam scriptores qui, supra memoratis aetate aequales, labore, meritis, operibus, non tamen eadem gloria gaudent; quia eorum libri et vitae virtutes, quamvis clarissima quidem, oblivione obscurata, a memoria hominum longe diuque affuerunt. Inter quos vero Sebastianus Brant (1457-1521), argentoratensis scriptor, recensendus est. Ejus nomen, hac data occasione, restitendum atque nobilitandum suscepit.

Deest opus, quod nobis praebeat veram egregiamque Sebastiani Brant imaginem. Ex notulis tamen quas hinc illinc collegi<sup>4</sup> et ex cognitione quam ipse ex pluribus illius operum lectione acceperit, satis

4. Ampliorem notitiam de vita deque operibus Sebastiani Brant tradit CAROLUS SCHMIDT, *Histoire littéraire de l'Alsace à la fin du XV<sup>e</sup> et au commencement du XVI<sup>e</sup> siècle*. Paris, G. Fischbacher, 1879, pp. 189-333, 340-373; FRIDERICUS ZARNCKE, *Sebastian Brants Narrenschiff*, Leipzig, 1854, multa quoque afferit in praefatione (pp. IX-CXLII) de Sebastiani Brant vita et scriptis.

5. Opus paravi, nondum editum, cui index est *Obra dispersa de Sebastián Brant*, in quo collegi CLIV opera ab ipso Sebastiano Brant composita vel ab eo edita.

aperte comperire potui hunc argentoratensem scriptorem clariore memoria dignum esse cultuque fervidiore quam illo quo reapse gaudet. Quod tamen aperte patebit, ubi summatim de ipsius vita et scriptis nonnulla rettulero<sup>6</sup>.

Vitam Sebastiani Brant paucis absolvam.

Natus Argentorati seu Argentinae anno 1457<sup>7</sup>, a prima pueritia ita penitus litteris liberalibus se abdidit, ut cito earum magister evaserit et scriptor omnibus admirandus. Philosophicis deinde disciplinis et juridicis Basileae enixe vacavit, optimorum magistrorum ductu<sup>8</sup>. Denique in utroque jure doctor renuntiatus, professor et magister in Basiliensem Universitatem cooptatus est, ubi principia juris civilis et canonici explanavit et in discipulorum usum latine edidit<sup>9</sup>.

Carmina et profana et sacra, cum vernacula lingua tum praesertim latina, plurima finxit, quorum duo volumina, omni admiratione digna, exstant typis mandata<sup>10</sup>.

Clarissima quoque manent alia nonnulla Sebastiani Brant opera, inter quae *Stultifera Navis* maxime eminet extollitque caput «quantum lenta solent inter viburna cupressi»<sup>11</sup>; quod opus, quamvis non

6. Ampliorem notitiam cf. apud C. SCHMIDT, in opere de quo mentionem feci in notula quarta.

7. Nonnulli eum natum putant anno 1458; ita, ex. gr., C. SCHMIDT, *Alsaciens illustres*. Strasbourg, 1865; ipse vero C. SCHMIDT, *Hist. Litt. de l'Alsace* (Paris, 1879) postea sententiam mutat eumque natum autumat anno 1457.

8. JACOBUS WENCKER, *Miscellanea ex litteris ad Seb. Brant* (Strasbourg), colligit quasdam epistulas in Sebastianum Brant vel ab eo scriptas, inter quas notatu digna est illa cuiusdam invidi aemulatoris, qui eum incussat de jactantia deque inscientia: «Ubi poetas, inquit, ubi oratores quos te novisse jactitas, dedicistis... ex rudibus particularibus scholis in hoc basiliense gymnasium peragrasti...». Sebastianus hac ratione responsum ei dat: «...Geramigitur tibi morem, atque litteris tuis, utcumque potero, respondere compellor non tibi, qui te non tanti facis ut nomen tuum sed inimicitiam detegas... Ceterum quod carmina nostra, quae cruda semper fatebar, in metri ratione pecare rudiaque dicis, id aliorum relinquo judicio, non tuo, qui nihil sane horum intelligis, qui litteras usque adeo barbaras, plurium verborum, eloquentiae parvae scriptitasti, ut balbutientes ineptire videantur, qui denique in ceteris sis inelengantior in tantum ut me tui miseret, stilo agresti, non semigraeco, sed toto barbaro, fatuitatem tuam litteris his diffundis...».

9. De scholis a Sebastiano Brant Basileae frequentatis, cf. WILHELM VISCHER, *Geschichte der Universität Basel von der Gründung 1460 bis zur Reformation 1529*. Basel, 1860.

10. In laudem gloriosae virginis Mariae multorumque sanctorum varii generis carmina Sebastiani Brant. Basileae, J. Bergmann de Olpe, 1494, in 4.; cf. HAIN, 3733; *Varia Sebastiani Brant Carmina opera et impensis Johannis Bergmann de Olpe*, Basileae, Kal. Majis, 1498, in 4.

11. VERG., *Ecl.* 1, 25.

ab eo latine conscriptum sit, sed germanice anno 1494, tanta fama claruit, ut cito in alias linguas (gallicam, anglicam, danicam, latinam) verteretur<sup>12</sup> et multifariam ederetur; immo in ecclesiis ejus sententiis praecones uterentur ad mores castigandos et vitam christianam renovandam atque fovendam<sup>13</sup>.

Sebastianus Brant scripsit etiam vel e lingua latina in germanicam vertit in adulescentium usum, praesertim Onophrii filii, opuscula quaedam ad informandos bonos mores<sup>14</sup>.

Edidit etiam magna sollertia et cura classicos scriptores latinos: Terentium<sup>15</sup>, Vergilium<sup>16</sup>, Aesopum<sup>17</sup>. Editio vergiliana digna est omni laude tum cura typographica, tum ornamento quinque commentariorum, tum argumentis brantianis quibus partes singulae ornantur, tum maxime imaginibus quibus mirum in modum ditatur; est enim prima editio vergiliana figuris atque imaginibus illustrata<sup>18</sup>.

Scripsit praeterea Sebastianus Brant vel ipse edidit opera multa

12. De variis «Narrenschiff» editionibus et translationibus apprime disseruit F. ZARNCKE, *Sebastian Brants Narrenschiff*. Leipzig, 1854 pp. XXXVI-CXLII; etiam A. POMPEN, *The English Versions of the Ship of Fools*. London, 1925, pp. 14-19.

13. *Des hoch / wirdigen doctor / Keisespergs na- / rrenschiff so er gepredicht hat zu Strasburg, in den hohen stiff da / selbst Predicant der zeit 1498... Getruckt zu Strasburg / von Iohanne Greiniger... / In der iar der geburt Christi / Tucent CCCCC.XX.*

14. De his opusculis a Sebastiano Brant ex lingua latina in germanicam translatis, cf. F. ZARNCKE, o. m.; *Cato* (pp. 131-137), *Facetus* (pp. 137-142), *Liber Moreti* (pp. 142-147), *De moribus et facettis mensae* (pp. 147-153).

15. *Terentius cum directorio, glosa intermineari, vocabulorum, sententiarum artis comicæ commentariis: Donato, Guidone, Assensio... Impressum in imperiali ac libera Argentina per magistrum Johanne Grüninger... anno 1496. Altera editio brantiana imaginibus illustrata, anno 1503.*

16. *Publii Virgili Maronis Opera*. Strasbourg, 1502; cf. THEODORE K. RABB, *Sebastian Brant and the First Illustrated Edition of Vergil*, «The Princeton University Library Chronicle» 21, 1960, 187-199.

17. *Aesopi fabulae*. 1501. In Bibliotheca Nationali Parisina inveni duo exemplaria: BNP, Rés. Yb 403 et 404. Praeter haec classicorum volumina, Sebastianus Brant quoque edidit Petrarcham (1499) et Boethium, *De Philosophico consulatu* (1501).

18. Haec editio est mirifica, cum arte impressoria tum maxime imaginibus quibus ornatur, tum commentariis atque metris brantianis in quibus argumenta singula continentur.

ad rem juridicam spectantia<sup>19</sup> et ad rem quoque asceticam<sup>20</sup> et historicam<sup>21</sup>; sed longius est singillatim de omnibus brantianis operibus aut editionibus disserere.

Sub fine saec. XV, pro patria sua fovenda, disciplinam juris, quam Basileac in Universitate omnium plausu professus erat, recusavit. Argentoratum deinde venit, ubi, ab anno 1503, munere a secretis fideliter functus est. Desiderantur acta officialia latine scripta, quae luculentum sane forent testimonium ejus peritiae in lingua latina adhibenda<sup>22</sup>. In illo munere fungendo, pristinas amicitias confirmavit novasque iniit et cum litteratissimis quibusdam viris suae aetatis et nationis, et cum praeclaris finitimarum nationum hominibus<sup>23</sup>. Im-

19. Nam praeter *Expositiones seu declarationes omnium titulorum iuris*, Sebastianus Brant scripsit etiam sive edidit haec quae sequuntur: *Decretum Gratiani* (1493), *Decretalium Gregorii Noni* (1494), *Decreta Concilii Basiliensis* (1499), *Liber decretorum sive Panormia Ivonis* (1499), *Margaritae decretalium* (1499), *Sextus decretalium* (1500), *Layen Spiegel* (1508), *Der Rechterlich Clagspiegel* (1516); cf. DR. STIEGLER, *Ein kanon. Werk von Sebastian Brant*, «Archiv für kathol. Kirchenrecht», 78, 1898, 188; R. STINTZING, *Geschichte des populären Literatur der römischen-kanonischen Rechts in Deutschland*, Leipzig, 1867.

20. Opera ascetica a Sebastiano Brant conscripta vel saltem ab eo edita sunt quoque multa: *Rosarium in laudem Virginis Mariae* (1490), *In divi Onophrii laudem* (1494), *Augustini sermonum opera* (1495), *Passio Sancti Meinardi* (1496), *Concordantiae majores* (1496), *De sancto Ivone hymnus* (1497), *Concordantiae majores* (1498), *De revelatione beato Methodio* (1498), *Hortulus animae* (1498), *Hortulus rosarum* (1499), *De patientia libri aurei tres* (1499), *Somnia domini Sebastiani Brant* (1500), *Der heiligen leben* (1502), *Traum Seb. Brant* (1502), *In memorabiles evangelistarum figuras* (1502), *De laude sanctae Crucis* (1503), *Rationarium evangelistarum* (1505), *Legenda aurea* (1511), *In honorem trium magorum* (1513), *Carmen saphicum de laude ordinis cartusiani* (1515), *Summa angelica* (1520), *Opera Sancti Ambrosii* (1492), *Reformatorium clericorum* (1494), *Quadragesimale* (1495), *In psalmum XXXIII* (1507), *In psalmum «Domine, quis habitabit»* (1508), *In symbolum apostolorum* (?).

21. Opera quoque historica Sebastianus Brant scripsit, ut ex. gr., *De Origine et Conversatione honorum Regum et laude Civitatis Hierosolymae, cum exhortatione ejusdem recuperandae*, opera et impensa Johannis Bergmann de Olpe, Basileae, 1495; *Zu eren romscher Kuniglicher Maiestat* (1502); *Bischoff Wilhelms von Moensteins waal und einrit. Anno 1505-1506. Authore D. Doctore Branden seligen, wie ich anders nich befind*, cf. GEORG WOLFRAM, *Ein bisher unbekantes Werck Sebastian Brant*, in «Jahrbuch für Geschichte, Sprache und Literatur Elsass-Lothringen», 1, 1885, 106-107.

22. *Fragments des Anciennes Chroniques d'Alsace: III. Les Chroniques Strasbourgaises... Les Annales de Sébastien Brant. Fragments recueillis par l'Abbé L. DACHEUX*. Strasbourg, 1892.

23. In opere, cui index est: *Illustrium virorum epistolae... ad Johan Reuchlin*. Tubingae, 1514, tres inveni Sebastiani Brant epistulas; C. SCHMIDT, *Hist. Litteraire de l'Alsace*. Paris, 1879, pp. 232-233, loquitur de commercio epis-

peratoris Maximiliani consiliarius renuntiatus et comes palatinus creatus eum magnis laudibus prosecutus est in suis carminibus et in operibus ei dicatis. Primam senectutem attingens, ad Carolum V missus est, ut partes cum eo componeret in quibusdam quaestioni-bus litibusque Argentorati obortis<sup>24</sup>.

Humanas litteras semper fovit et cum politioribus hominibus familiariter egit, quorum plurimi ad Evangelicam Ecclesiam postea proclives vel lapsi sunt, ipse tamen accerrime unitatem Ecclesiae ad ultimum spiritum propugnavit; quare forte ejus memoria non omnibus grata fuit<sup>25</sup>. Virginem Matrem filiali amore dilexit. Eam saepe ardenterque cecinit. Immaculatam ejus conceptionem acerrime defendendam suscepit<sup>26</sup>. Ecclesiae mala, pericula, detrimenta sive in doctrina sive in moribus amare flevit, sed fuit semper ipsius custos fidelissimus et studiosissimus filius.

Sebastianus Brant, magna gloria cumulatus et meritis, Argentorati in patria, obiit anno 1521.

#### DE SEBASTIANI BRANT OPERIBUS

Basileae, ubi, tunc adulescens, juris civilis et canonici professor exstitit, opus edidit cui titulus est: *Expositiones sive declarationes omnium titulorum iuris tam civilis quam canonici per Sebastianum Brant collectae et revisae. Et de modo studendi in utroque iure cum nominibus omnium scribentium in iure... Venundatus Parisiis in vico*

---

tulari Sebastiani Brant praesertim cum impressoribus et scriptoribus suaे aetatis, ita ex. gr. Bergmann de Olpe, Amerbach, Zasio, Jeronimo Vehus, Trithemio, Wimpelingio, Geiler, Erasco; sed harum epistularum maxima pars desiderantur.

24. Ipse Sebastianus Brant, anno 1520, testimonium publicum reliquit in chronica civitatis argentoratensis, uti constat in fragmentis a L. Dacheux collectis (cf. n. 22): «Ab isto tempore usque ad Simphoriani absens fui, missus Gandam ad Caesarem Majest. Redii sanus et incolumnis, gratiam Caesaris adeptus ex congratulatione, quae in *Chronica nostra* habetur. Laus Deo optimo maximo. Quinta post Johannis, Vig. Petri et Pauli, 1520».

25. MARY ALVARITA RAJEWSKI, *Sebastian Brant. Studies in Religious Aspects of His Life and Works with Special Reference to the Varia Carmina*. Washington, Catholic University of America Press, 1944.

26. C. SCHMIDT, *La controverse allemand de l'Inmaculée Conception et l'intervention et procés de Wigand Wirt*, in «Archivum Franciscanum Historicum» 45, 1952, 397-450; *Varia Sebastiani Brant Carmina*. Basileae 1498: fol. Aii(v)-Aiii(v): ...pro Virginis Conceptionis defensione contraque maculistarum Virginis Mariae furorem invectio Sebastiani Brant.

*divi Iohannis Laterar e regione collegii Cameracen.*<sup>27</sup> Hujus operis sunt innumerae editiones in praecipuis bibliothecis, quarum plurimas vidi Matriti in Bibliotheca Nationali.

In praefatione, praestantissimo viro doctori Andreeae Helmont, praceptoris suo, dicata, haec Sebastianus Brant grato animo scribit:

«Foret admiratione dignum, ornatissime vir totiusque eloquentiae et facundiae columen longe princeps, cur ego adulescens nullius peritiae aut artis bonae gnarus, hanc mihi usurpem provinciam (ut ausim) non modo de juris principiis, sed et maxime ad te virum omnium acutissimum scribere cujus domi jura nascuntur. Noctuas profecto Athenas fero. Et, ut apertius loquar, balbutiens ego, judicari potius abs te, quam videri volui. Quamobrem cum te novissem virum humanum ac perdoctum, mihiq[ue] faventissimum sumpsi animum liberiusque meas ad te lusi pueriles ineptias».

Postea in eadem praefatione auctor de ratione operis paucis agit et disserit:

«In qua interpretatione multis quidem omnia et pluribus cognita, grata tamen et utilia juvenibus reperies; nonnulla tamen quae vel altius repetenda, vel copiosius disserenda fuerunt strictim enarravimus, ne magnitudo principii plus quam par est excrescat. Et ne epistolae modum excedam, jam finem loquendi facturus paululum quippam de legaliis titulorum laudibus annexam, quae quidem sunt prima cunabula et civilis prudentiae praeexercitamenta, a sacratissimis legumlatoribus derivata, ac imperiali splendore illuminata.»

Praefatio finitur hoc disticho in laudem Andreeae Helmont, eloquentia et juris doctrina clarissimi:

«Vive, vale et superes longaevi Nestoris annos,  
Eloquii princeps, Scaevola doce, vale.»

Sensus christiani et auctoris recta rei ratio patent jam in principio operis. In prooemio enim haec notissima verba invenimus:

«Cum difficile, immo impossibile sit, ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio... et unius cujusque rei potissima pars sit principium..., magnum igitur Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum et ejus auxilium invocantes... oportet juri operam datus prius erudire animam quam corpus... et istud sibi ponere principim, sine quo totum corruet aedificium... ac dicere cum Marone Virg.: *Ab Jove principium...* (28), deficiente humano subsidio convocare ad auxilium divinum.»

27. Prima editio hujus operis prodiit anno 1490, postea aliae editiones hic illic prodierunt (1500, 1503, 1504, 1505, 1508, 1514, cet.).

28. VERG., *Ecl.* 3, 60.

Postea de recta rei ratione ita scribit:

«Quia igitur ardua prima via est... ideo a facilioribus et levioribus studium quoque, praecipue tamen Juris, inchoandum est, ne in desperationem, quae plerumque juvenes avertit, Juris studiosos inducat.»

Sicut in praefatione et in prooemio, sic et in omni tractatione auctor appareat linguae latinae peritissimus. Jam a primis editionibus hoc opus Sebastiani Brant absolvitur tractatu quodam *De modo studendi in utroque iure*, a Johanne Baptista de Gazalupis de Sancto Severino conscripto. Primo conspectu patet quam dispar sit hic ab illo in linguae latinae usus; clare eminet in hoc tractatu peritia qua utitur argentoratensis scriptor.

Omni laude digna sunt *Varia Sebastiani Brant Carmina*, ab editore Joanne Bergman Olpe, Basileae anno 1498, vulgata. In hoc opere scriptor etiam sensus christianos exprimit, et in carminibus Domino nostro, Virgini Matri, Sanctis dicatis, et praesertim in his distichis quae, sub imagine Magorum Regum, qui dona sua offerunt divino Infant, ita se habent:

«Quae tibi diva —miser— Christipara, carmina lusi  
Caelicolisque aliis, suscipe grata velim.  
Et mihi pro reliquis erroribus, optima Virgo,  
Exores veniam criminibusque precor.  
Nam laude tui Nati superisque tonantis,  
Cuncta haec concini quae liber iste tenet.» (29)

1) Primum carmen dicatur «ad magnificum et nobilem virum dominum Adelberum de Rotperg, insignem ecclesiae Basilien. decanum, pro virginalis conceptionis defensione, contra maculitarum Virginis Mariae furorem». Hoc carmen versibus constat 134, distichis dactylicis conscriptum. Sequuntur alia carmina sacra, quorum indices ex. gr. sunt:

2) Gloriosae Virginis Mariae intra se admiratio, ingrediente angelo.

3) Verba Angeli ad Mariam, quod carmen hoc disticho finitur:

«Virginis effigiem qui transis forte viator,  
Non dedigneris dicere: Mater, Ave!». (30)

4) Contra judaeos et haereticos, conceptionem originalem fuisse possibilem argumentatur.

29. *Varia Sebastiani Brant Carmina*. Basileae, 1498, fol. Ai.

30. *Varia S. B. Carmina*. Basileae, 1498, fol. [Avi].

- 5) Quaerimonia Virginis in passionem Christi.
- 6) Consolatio Christi ad matrem.
- 7) Rosarium ex floribus vitae passionisque Dni. Ntri. Jesu Christi consertum... cum singulis angelicis salutationibus continuandum. Carmen dicolo-tetrastrophon, ex saphico endecasyllabo et adonio dimetro compositum. Quinquaginta constat strophis saphicis, in quibus vita Jesu et Mariae ita narratur, ut ante singula «*Ave Maria*», unaquaeque stropha proferatur.

Hac ratione sequuntur alia plura carmina sacra in honorem Virginis Matris et sanctorum. Liceat tantum afferre hoc breve carmen, cui index est, «*Salve Regina*»:

«O regina Dei Mater carissima, salve!  
 Vitae dulcedo, spes quoque nostra, vale!  
 Tenditur ecce ad te per nos vel ad aethera clamor;  
 Nos, quos prima parens misit in exilium,  
 Ex hac nos ad te lacrimarum flemus abyssο,  
 Et gemitus imo pectore proveniunt.  
 Eja, age, nostra tuos Mediatrix verte benignos  
 Ad nos prospectus; respice filiolos,  
 Et Jesum ventrisque tui fructum venerandum  
 Ostendas nobis post precor exilium hoc.  
 O clemens dulcisque Dei Genitrix, pia Mater;  
 Pro miseris Natum, Virgo Maria, roga. Amen.» (31)

Praeter carmina religiosa sunt etiam plura alia profana carmina in hoc volumine collecta, argumento et metro diversa, uti ex. gr.:

- 1) De corrupto ordine vivendi pereuntibus.
- 2) In baeticum triumphum congratulatio <sup>32</sup>.
- 3) De vita et conversatione Regum Israel et Juda <sup>33</sup>.
- 4) De captivitate Regis Romanorum contra Flamingos.
- 5) De morte imperatoris Friderici.
- 6) Jactatio martialis hominis contra mortem.
- 7) De Francisci Petrarchae laudibus et praestantia.
- 8) Execratio contra fortunam.
- 9) Ad dominum Johannem Bergman de Olpe, Archidiaconum

31. *Varia S. B. Carmina*. Basileae, 1498, fol [Eiv(v)].

32. *Varia S. B. Carmina*. Basileae, 1498, fol. bc4; HIERONIMUS GEBWILER, *Epitome regii ac vetustissimi ortus Sacrae Caesareae Catholicae Maiestatis... Dni. Ferdinandi etc.* Hagonoae, 1530; CAROLI VERARDI, *Hist. Baetica*. (1494).

33. *Carmina*, 1498, fol. di(v)-ei(v); etiam prius editum erat hoc carman in opere *De origine* (Basileae, 1495, fol. Tiij (pro Tiv) et ss.).

Grandis uallensem, de praestantia artis impressoriae a Germanis inventae.

Sunt et alia carmina sacra et profana, quae Sebastianum Brant virum facilitate mira praeditum in metris latinis pangendis et usur pandis praedicant<sup>34</sup>.

Neque minore usus est facilitate et peritia in sermone soluto adhibendo. Ex iis quae antea de libro *Titulorum iuris* attuli, constat Sebastianum nostrum peritissimum fuisse in lingua latina adhibenda. Praeterea in libro carminum fabulam inveni *De anticipatione horologii basiliensium* «ad nobilem et splendidissimum virum dominum Heinricum de Büno, equitem auratum omniumque divinarum atque humanarum rerum interpretem ornatissimum, illustrissimi ducis Friderici principis electoris Saxoniae cet. oratorem praestantissimum». Cum vero haec fabula longior sit, nolo lectoribus taedium molestiamque inferre, ideoque praeteribo. Ultimam tantum rationem a Sebastiano Brant propositam afferam, quae ita se habet:

«Ego vero, posthabitatis omnibus antea recitatis persuassionibus, unicam et veram hujus commentationis causam arbitror fuisse singularitatem, cui cum omnes omnium regionum nationes passim studere innitique videamus, tum vel maxime alpicolae altiorisque Germaniae populi, plurima inerrabilique rerum novitate exquisita quoque singularitate gaudent. Unde et Basilienses nostri, propter locorum forte vicinitatem et finitorum commercium aerisque communionem inducti, eam horologii anticipationem singulari quadam novitate instituere, quatenus quibuscumque orbis in oris existentes, si horologii alieni tinnitum audierint, inquirentes quaenam pulsa sit hora, si responsum repperint, pulsatam, puta, secundam, mox inquiunt: 'Apud nos tertia hora nunc existit'; quibus solis verbis absque etiam alterius Basileorum mentione, Basiliensis, hoc est, singularis horologii homo, indicari potest. Qua quidem singularitate moti, ut reor, Basilien. gladium centum prope librarium, bicipitem, sive bis acutum mirae magnitudinis, ad usum bellicum fabricavere. Eum vide licet quem insignis tua magnificentia hodierno vesperi, bijugis rotis, turbinis instar decurrentem, integrasque arbores frustillatim dupli volubilique sua lamina detruncantem suis profecto oculis coram aspexit. Atque itaque prope illum tua dignatio intuita admirataque fuit, ut ferme gladii ipsius superexagitati partem, impetu prosilientem, corporis etiam objectu suscepisset. Magnum ensiferi tui principis illustrissimi omen, truculentissimus ille violentissimusque caedere et caput inclinare non erubuit ensis exinanitus, in partes quoque duas promptus» (35).

34. Varia alia carmina tum sacra tum profana edidit Sebastianus Brant usque ad extremum suae vitae spiritum, ita ex. gr.: *In nuptias Maximiliani* (1494), *Carmen ad Philomusum* (1496), *Verbum bonum* (1496?), *Somnia domini Sebastiani Brant* (1500), cet., quae non continentur in opere cui titulus est *Varia Sebastiani Brant Carmina* (1498).

35. Integrat narrationem habes in opere: *Varia S. B. Carmina* (1498), fol. m.miv, et in *Troisième Congrès International pour le Latin Vivant*. Avignon, 1963, pp. 85-87.

Aliud opus soluta oratione latina a Sebastiano Brant conscriptum est, cui titulus est *De origine regum sive Historia Hierosolymae*. De illo nonnulla alibi scripsi (36). Nunc vero placet ex eo haec pauca proferre ut percipiatur quam magna peritia et numero scriptor noster argentoratensis lingua latina usus sit.

Atque primum de Hierosolymae constitutione et finibus:

«Urbem Hierosolymam, uti sacrae nobis tradunt litterae, tametsi post diluvium, diebus Noe factum, Chanaan filium Cham (qui et eam quam Judaeam dicimus regionem, a se Chananaeum dixit) condidisse arbitrari licet. Eratque is annus mundi, secundum Josephum, circiter bismillesimum septingentesimum. Nullus tamen ante Melchisedech eam habitasse invenitur, cum quidam et is Anarchos, hoc est, sine principio et patre comperitur. Primus igitur omnium mortalium Melchisedech, Rex Salem fuisse legitur, circa annum mundi ter millesimum centesimum, et ante nativitatem Christi bis millesimum XV, secundum Orosium. Abraham enim reverso cum triumpho ab Assyriis, Sodomitarum praedonibus devictis, obvium habuit in loco qui vocatur vallis regia, in via Solymae civitatis, Regem Melchisedech, quod iustum significat; et erat utique et sine dubio talis, ita ut propter hanc causam etiam sacerdos Dei esset Solymarum, quam civitatem postea Hierosolymam vocaverunt» (37).

De origine nominis Hierusalem, haec scribit:

«Porro ipsa civitas David, postea vocata est Mello. David autem civitatem, quae primo *Jebus*, deinde *Salem* dicta fuit, *Hiebusalem*, appellavit. Sed postea per antistichon mutata *b* in *r*, *Hierusalem*, hoc est, *munita Salem* dicta est. Et, ut tradit Josephus, hanc litterae mutationem quidam ab Homero factam fuisse putant. Postea a Salomone dicta est *Hierusalemonia* et tandem, per syncopam, *Hierosolyma*. David autem omni tempore in ea sui imperii habitavit» (38).

Demum ex eodem libro, Davidis regis descriptionem tibi trado:

«Hic erat David, ille vir optimus et omni virtute plenus, quas esse oportet in regibus, quibus tantarum gentium committitur salus. Fortis qualis non fuit aliis. Nam in certaminibus, quae propter subjectos habuit, primus ad pericula properabat, laborare et pugnare milites multa remuneratione invitabat ipse operando potius, non sicut dominus imperando. Ad intelligendum autem et considerandum de futuris et ad dispositionem de praesentibus nimis idoneus, castus, mansuetus, benignus, circa eos qui in calamitatibus erant, iustus et nimis humanus. In his autem quae regibus praecipue convenient, in nullo penitus (nisi circa

36. *El De Origine...*, in commentariis quibus index «Salmanticensis», 15, 1968, 435-463.

37. *De Origine* (1495), fol. Aiv-[Av].

38. *De Origine* (1495), fol. ([Avi(v)]).

uxorem Uriæ) magnitudine potestatis deliquit. Post quem filius Salomon, omni sapientia amplissima praeditus, in Hierosolymis habitabit, eamque cum sapientia tum templi illius toto orbe celeberrimi magnitudine et ornatu, fossarumque et moenium fortitudine decoravit» (39).

Nunc in animo erat de *Stultifera Navi*, praecipuum sane opus a Sebastiano Brant conscriptum, disserere; sed ne longius hanc disquisitionem protrahamus, opportunum visum est hoc argumentum in proximum fasciculum *Palaestrae Latinae* proferre.

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

In Universitate Salmanticensi litterarum latinarum Professor

---

39. *De Origine* (1495), fol. [Avii].

# C O U S   E T   C A U S

Est locus aerium qua torquet America caelum  
Torrida, saepta jugis nexuque implexa comarum  
Queis etiam variarum nodatur gratia florum  
Ut magis esse putas hominum viridaria curis  
Picti quam veris profusum floribus hortum.  
Hic rapido gyro montanus flectitur amnis  
Spumeus et torto magnos agit agmine fluctus;  
Pluribus hic saliens saxis illiditur atque  
Murmure conturbat volucres silvamque profundam.  
Incani laevam fluvii labentis ad oram  
Rupes summa petens vacuas se tollit ad auras  
Quam nullae lustrant acies et culmina cernunt.  
Hic sua cincta jugis celsas supereminet aedes  
Ruricolumque casas senioris regia Coi  
Pensilis in scopulo dudum solidata vetusto;  
Edita vicinum moles discriminat agrum  
Innumeros molli positum dicione per annos;  
Vitreæ saxosa consistit cuspide sedes  
Ebore qua textum passim consperrgitur aurum  
Et simul argento multo constricta relucet.  
Mellea verba cadunt eri narrantis ab ore  
Mollibus et manibus docti de marmore vultus  
Ducere et attonitas caelesti numine formas.  
Sic meritis functus decimum traduxerat aevum  
Dilectus sociis patria dum regnat in aula  
Quamvis corda senex mira dulcedine complet  
Cuncta tamen jugi maerent penetralia luctu.  
Ipse oculis captus caeli non lumine gaudet  
Sed neque naturae potis est haurire colores.  
Olli regalem stipant tria pignora sedem  
Quae ludis semper reboat joculisque resultat.

Vipereo frustra commixtus sanguine succus  
 Lumina maturi refovet tenebrosa parentis;  
 Noxia nil prosunt jejunae verba novercae  
 Quodque solet mixtum cum lacte venenum  
 Nec cantata minus vitioso carmine luna.  
 —Utile, doctus ait, folii medicina virentis  
 Ater ut omnino pellatur corpore morbus:  
 Orbis in ignota quadam regione latescit,  
 Quod si perquiras solis occurret in agris  
 Et blande tactum digitis et sponte revulsum  
 Inventum facili poteris divellere nisu.  
 Reddita vix avidas natorum venit ad aures  
 Demulcens animos duri sententia casus,  
 Ingenti caeci perculsis patris amore  
 Natis diversum mens est percurrere campos  
 Atque locos notasque feris temptare latebras  
 Si modo praesentem valeant reperire medelam.  
 Corripuere viam diversa per invia fratres,  
 Bellatoris equi tergis sibi rite paratis  
 Qui micat aure magis stabuloque hinnitat avito,  
 Jam sibi quisque parans herbae deducere ramum.  
 Protinus aurorae partes petit ille rubentis;  
 Occidui solis tendit citus alter ad oras;  
 Tertius interea campis perrexit apertir  
 Qua sua congeminat nimbosus sibila ventus  
 Et cogit nubes patulave resolvit in aethra.  
 Quae loca cumque petit ventosi flaminis instar  
 Vectus equo jussum felici semine ramum  
 Atque omnes acri perlustrat lumine frondes.  
 Viribus infractus quotiens radice sub ima  
 Montis inaccesi visi per somnia flores  
 His sibi distincta compellere voce loqueli:  
 En age frondosa tandem latet arbore ramus  
 Quem septem servant nanni totidemque minaces  
 Ructantes furias serpentes ore bisulco.  
 Corripit e lecto Caus data membra quieti:

Herbam jam teneo patri medicaminis aegro,  
 Parvus ait, rerum ut possit discernere formas,  
 Inde aberat vitrea genitor seclusus in aede  
 Ipse procul natique sonos audire nequibat.  
 Tertia quaerendo jam tunc processerat aetas  
 Quin tulerit donum certae sors fausta salutis.  
 Sedulus intacti vestigans devia saltus,  
 Quam toto nusquam reboatur carpere mundo  
 Forte salutiferam reperit sibi parvulus herbam;  
 Praesens lenimen caeci genitoris ad aedes  
 Omnibus optata festinus luce reportat.  
 Livoris sacri facinus! Perferre recusat  
 Lumine praeclari juvenis bene gesta benigno.  
 Pace bona nobis regalem credito ramum,  
 Sic duo majores rixosae more juventae  
 Aspera verba movent puero mortemque minantur;  
 Visque minas subit et dudum convicia surgunt;  
 Ecce minor campis fratrum mucrone peremptus  
 Occidit. Ante novi rorantur sanguine flores  
 Quam nudo caesi tumulentur membra sepulcro.  
 Tunc iter instaurant commisso crimine bini  
 Quod patriam tendit directo tramite in urbem  
 Ablatumque ferunt peracerba morte levamen  
 Ensem dum tergunt instinctum sanguine Cai.  
 Post ubi contigerant verecundi moenia regis  
 Jam celeri certant penetrare palatia gressu:  
 Actutumque senis conspergunt unguine visus  
 Et caeci tingunt oculos collyria patris.  
 Vix ubi persentit Cous medicamen inunctum  
 Illicet ille valet caelestem cernere lucem  
 Sublatoque acies oculorum est redditum myro.  
 Quas ego persolvam vestro pro munere grates  
 Condignas operi, meritis quae praemia ponam,  
 Cous ait natumque amplexu fovit utrumque.  
 Credita sint vobis regalis sceptra decoris,  
 Jure datum patrio concordes sumite regnum:

Vobis partus honos, rerumque ego lumina cerno!  
 Hinc atro capitis fraternali funere sontes  
 Imperii dono laeti regnoque potiti  
 Et saevire viro et cives vexare superbe.  
 Interea nubi fuscantur tempora Coi  
 Et sua plorato nigrescunt caerulea Cao.  
 Quam vellem notos iterum dignoscere vultus  
 Et nati rursus voces haurire loquentis  
 Qui numquam est fato lucis redditurus ad oras.  
 Sic fatur lacrimisque oculos implevit amaris.  
 Excussus regno, sedis quoque tecta paternae  
 Diffugiens solis vitam peragebat in agris  
 Heu! quondam multo laudandus nomine Cous.  
 Sollers ecce novi referens miracula facti  
 Pastor adest crebra qua frondet harundine campus:  
 Densi dum silvam canneti falce recido  
 Conatus modulos secta deducere canna,  
 Has dedit extemplo maestas mihi fistula voces:  
 Parce meos inflare tubos, at perge cicutis  
 Ludere rite meis; letum sum ferre coactus  
 Inventum quoniam traxi de germine ramum  
 Laeta qui patris propulset sorte tenebras.  
 Protinus ut calamo rex aures mulcet agresti  
 Atque leves agitat suavi modulamine ventos  
 Dulcius arte nova quam vivi corpora tangat,  
 Ecce iterum querulae lapsae sunt aethere voces:  
 Jamque meos, genitor, calamos inflare caveto,  
 Ludere sed potius nativis perge cicutis.  
 —Quo reliquum, pastor, cannatum sidere floret,  
 Quove virent calami, Cous singultibus orat,  
 Qui dempti liquido creverunt sanguine nati?  
 —Hinc tibi porrigitur nemoris per frondea callis  
 Plurima quo perstat nubes divertere quercus  
 Proceras inter sublimis vertice fagos;  
 Ut ventum ad vallem, redimitam flore, reductam  
 Bracchia ramorum nutans heic explicat ulmus

Cannarumque seges medio pubescit in arvo.  
—Adsit confestim mecum jam bina propago,  
Adsint qui comites degunt, rex inquit, in aula  
Qui valeant oculis canneti discere signum  
Nec caecis monstris detectum solvere verum.  
Illicet ex silva decerp tam pastor avenam  
Sufficit evictis fraternae crimine caedis;  
Edere dum modulos pertentat harundine nequam  
Flebilis est cunctis puras vox lapsa per auras:  
Parce meos, frater, calamos inflare, nec ultra  
Ossa gravi mandata solo temerare memento  
Ausus purpuream ferro dirumpere vitam,  
Caeco quem tenui ramum spoliare parenti.  
Deditur extemplo populi per compita murmur,  
Talibus acceptis, irata voce reposcens  
Supplicium sceleris meritasque absumere poenas  
Justitiaque minas et laesi fulmina juris  
Dum rogat indignis Cous ploratibus omnes:  
Jam prius assiduo terram properate ligone  
Vertere quam rigido concrescant frigore nati  
Condita membra mei, terra tumulove reposti  
Exanimes artus vacuum tenuentur in aer.  
Dixerat haec Cous lacrimis miserandus obortis  
Cum deplorati niveum, mirabile visu,  
Paulatim coepit pueri coalescere corpus:  
Fusi tunc subito crescunt in harundine crines  
Et nova consuitur rugoso cortice pellis;  
Crura pedesque simul longa in radice virescunt,  
In sua conversas mirantur bracchia frondes,  
Cor veluti rubrum trepidare in pectore malum.  
Lumina tunc lacrimis manant vultumque rigabat  
Rex fletu flentem dum natum amplexibus ambit,  
Questibus et populi resonat nemus omne miserti.  
Vindicis imperio, manibus post terga revinctis,  
Justas jam sontes pendent cum sanguine poenas  
Promeritamque animam crudeli fine piabunt.

Hoc prohibent, quae tutari ardet, foedera pacis  
Et dolet ultrices princeps imponere leges.  
Dat veniam ipse reis, regnique exordia jactat,  
Laude coronatus, seros valitura per annos,  
Hostibus amotis; Cai nova nascitur aetas  
Aurea non iterum similis ventura sub axem  
Casibus usque gravem. Mediis halare ruinis  
Visa peregrinis ignoti seminis herba  
Verna diu terris, multo nunc pulvere languet.

**RAYMUNDUS SARMIENTO, C.M.F.**

Constitución 1.077

Bonis Auris in Argentina

# “HYMNI INSTAURANDI BREVIARII ROMANI”\*

## (ANNOTATIONES)

Sacrosancti Oecumenici Vaticani II jussis<sup>1</sup> necnon et primae Episcoporum Synodi nutibus<sup>2</sup> obsecundans, Consilium ad exsequendam Constitutionem de S. Liturg. pulchrum et egregium sacrorum hymnorum volumen in lucem edendum curavit. Cujus operis quasi conspectus apud «*Ephemerides Carmeliticae*»<sup>3</sup> prodiit. Impræsentiarum autem, præclaris auctoribus morem gerens, qui studiosos ad annotationes manifestandas alliciunt<sup>4</sup>, opus ausus sum altius perscrutari et sub Metricæ et Hymnologiae Sacrae specie trutinae subjicere, meam sententiam —magis quidem diutina scholæ experientia innixus, quam exigua scientia fretus— in medium proferendo, præ oculis quae auctores de hymnorum natura, historia, deque pristinae formae restitutione, cet., habens; praesertim nn.os 22, 29 et 30: de correctoribus Urbanianis *Strada*, *Galluzzi*, *Petrucci*, *Sarbiewski*, pariterque quae hymnorum apparatus atque eorundem editionem respiciunt<sup>5</sup>.

Quod ad hymnorum auctores spectat, error satis superque vulgatus irrepsit. Etenim, in libris Act. sessionum Sacrae Rituum Congregationis<sup>6</sup>, apparebat officium Scti. Joseph, a P. Joanne a S. Joseph (BLANCH MUR: 1624-1718), de mandato Rvdssmi. Praepositi Generalis Carmelitarum, Fr. Joannis ab Immaculata (ESCALLAR: et hinc confusio!) (1626-1700) exaratum, fere ex integro approbatum, præter solos hymnos, quos Cardinalis Hieronymus CASANATE, Neapolitanus (1620-1700), illius S. Congregationis a secretis, rejicit, novosque substituit, si illum excipias («*Plaudant aetherei sidera verticis*», nunc tantum in Breviario Carmelitano<sup>7</sup>).

Aliquos hymnos expunctos et abactos deploramus, vgr.: a) stropham archilochiam (tertiam) «*Domari cordis impetus Elisabeth*», quae est unica toto anni et Breviarii decursu, et vel tribus versibus (senario iambico, parvo archilochio et dimetro iambico acatalecti-

\* Pp. xxii - 328; 24 x 17. Ann. 1968. Typ. Polyglott. Vatic.

1. Const. de S. Liturg., 93.

2. sess. dd. 21-23 oct. 1967.

3. n.<sup>o</sup> 2 ann. 1968, p. 427.

4. n.<sup>o</sup> 87 Introductionis.

5. Ibid. nn. 72 ss.

6. sess. d. 27 januarii ann. 1680.

7. Cfr. ephemerid. «*Estudios Josefinos*», Valladolid, 11,1957, pp. 92-115.

co) coalescit; vel —si malumus—, duobus postremis vv. in unum coëuntibus, fit elegiambus (ἀσυνάρτητος)<sup>8</sup>.

b) «*Regali solio fortis Hiberiae*», unicam item stropham tertiam parvorum asclepiadeorum;

c) Sanctorum Joannis Cantii, Venantii, Martinae, cet.;

d) praesertim vero pretiosissimi Sanguinis;

e) et, mirum! Sacratissimi Cordis Jesu, «qui [versus] fere omnibus invisi erant»<sup>9</sup>: quod, si verum esset —non equidem credo—, terque quaterque miliesque plorandum, nec versus illos rejiciendos.

At magno applausu alcaicos n. 131 recipere satagimus. Optandum autem ut stropha tricolon (duobus prioribus *alcaicis* hendecasyllabis, 3.<sup>o</sup> *alc.* enneasyllabo constans), ideoque ALCAICA nuncupata, sive HORATIANA —quia ea potissimum Horatius est usus— inter sacros hymnos adsit<sup>10</sup>.

In aliorum Sanctorum —saltem in eorum regione, coetu vel Ordine religioso— festivitatem, alios hymnos invehere oportet, vgr. B. Mariae V. de Monte Carmelo —cui, demum!, officium est restitutum—; S. Joannis a Cruce, ut Doctoris Ecclesiae; Stae. Teresulae (petite Thérèse), ut Missionum Patronae; Sti. Patricii, in Hibernia; SS. Ignatii de Loyola, Francisci Xaverii, Joseph a Calasanctio, Antonii Mariae Claret, cet. Et pro nobis, Carmelitis, non pauci hymni desiderantur, vgr. omnes (tres saltem) in honorem B. Mariae V. de Monte Carmelo; S. Joseph (e. g. «*Plaudant aetherei sidera verticis*», ad Vesperas, repetitionem «*Te, Joseph, celebrent*» vitantes); S. Alberti Drepanensis, in Sicilia, cuius auctor est B. Baptista MANTUANUS (SPAGNOLUS: Modóvar Maggi: 1447-1516), «optimus 'Humanista' Christianus praetUDENTinus»<sup>11</sup>. Juxta Aloisium VIVES, duntaxat, prope Prudentium, ut poëta christianus apponi deberet unus B. Baptista MANTUANUS, quem ut «facilem et copiosum» commendat<sup>12</sup>.

Sequentiae-hymni «*Dies irae*» optima mihi videtur solutio (p. 292). Multoties tamen ex illo tam praeclaro Prudentii carmine (X.<sup>o</sup> Cathe-merinon: «circa exsequias defuncti»), quod Cardinalis HOLSTENIUS, jamjam animam acturus, sibi legendum curavit, per singulas diei 2 novembris horas, tot hymnos decantare desiderabam. Quinimmo hoc Prudentii carmen spem erigit et laetificat, nec animum cordaque ad terram, ut «*Dies irae*» —nimis forsitan lugubre— prosternit.

In ipso Breviarii capite vel ad calcem, non abs re, si aliqua ades-

8. Cfr. Horatius. Epodon lib., 11.


9. p. 120.

10. Per pulchrum exemplum christianum hujus stropheae vides in ephemerede «*Palaestra Latina*», quod ann. 1947, n.<sup>o</sup> 105, pp. 325-326: «In B. Mariae Goretti Ode». P. Avenarius vulgavit.


11. Cfr. ephem. «*Revista de Espiritualidad*», 1947, pp. 51 ss., et «*Palaestra Latina*», 1947 pp. 366.

12. Cfr. «*De tradendis Disciplinis*», lib. III, t. 6, p. 329, ed. Valentiae Edetanorum, 1785.

sent metrica schemata, saltem versuum in Breviario usurpatorum, ut postea citationes hinc inde fierent<sup>13</sup>. Vgr.: *Schema a): Dimeter iambicus acatalecticus:*



*Schema b): Sapphicus Minor:*



Etiam nomina auctorum in Breviario, etsi breviter, apponenda, vgr. ad calcem, ubi eorum nota biobibliographica inveniatur, ut olim in Breviario Carmelitarum. Itaque, juxta rubricam «*hymnus*» addi posset, vgr. *Mant. b)* vel *Ambros. a)*. Hoc est, Hymnus B. Baptiste Mantuani, schema b), nempe, sapphicus minor; vel, Hymnus S. Ambrosii, schema a) id est, dimeter iambicus acatalecticus.

Ut anonyma in hymnorum auctoribus in posterum radicitus videntur, illa ratio et illa verba «unus e nostris» (vgr. p. 286), longissime rejicienda, nominaque, cognomina et nativitatis —mortis, si res ferat — tempora diligentissime exscribenda. Aliquid —meo judicio— de arsi et thesi, de rhythmo ascendentе et descendente, deque relatione inter rhythmum musicalem et poëticum, in praedictis prodromis praelibandum.

In notando hymnorum sive metro sive rhythmo, nimis severe adversus metrum, et nimis indulgenter et copiose —ni fallor— erga rhythmum actum est. Nam quantitatis seu temporis sensus ad aures vulgi —quod hodie fere omnes sumus— amissus est, juxta D. Au-

(13) Cfr. «*Los himnos del Breviario*» aa. J. Zahonero Vivó et L. Casanoves Arnandis, 2.<sup>a</sup> ed. 1962. Alcoy.

gustini effatum: «De correptione vocalium et de productione, non judicat [populus]»<sup>14</sup>.

Equidem correctores Urbaniani —immo et saepissime corruptores— aliquos adeo hymnos castigarunt, ut aliquando penitus refectos (ut «*Urbs Jerusalem beata = Caelestis urbs Jerusalem*» et «*Angularis fundamentum*» = *Alto ex Olympi vertice*», quos ex descenditibus ( u\_ ) in ascendentibus ( u ' ) transtulerunt, et hinc, sex vv. in stropha, contra dimetrorum iambicorum morem) denuo in incudem induxisse compertum sit. Correctae enim, in sacris hymnis, plures quam 90 syllabae falsae, et mutata initia eorundem plura quam 30, ut graviter Gavantus querebatur. Attamen, anaclasi mediante, cum substituti pedes in substitutorum rhythmum succedant —rhythmus enim rhythmum vocat, id est, versūs vi et motu, pedes in versūs rhythmum attrahuntur—, fere nullus versus rhythmicus tantummodo considerandus, sed metricus cum qualicumque licentia. Ita ergo tam copiosus hymnorum rhythmicorum acervus nimis decresceret, poësisque —praesertim Medii Aevi— in suo se tenore nobis offerret.

In hymnis sacris metrice perpendendis, *tres sunt syrtes* toto corde et vigili oculo cavendae: a) et illorum scilicet sententia, qui eos «complexive» ut mere metricos considerant —nulla aetatis auctorumve condicionis habita ratione—; b) et istorum opinio, qui eos putant accentu praeditos in definitas syllabas juxta regulas constanter cadenti, potius quam syllabarum quantitate, seu brevium et longarum ad normas Prosodiae commixtione<sup>15</sup>; c) et horum denique mens, qui hymnos sacros tantummodo isosyllabicos et rhythmicos autumant, cum re vera, multoties, simul et antiquorum classicorum graecorum et latinorum —cum aliqua utique licentia— metricas rationes, et certum syllabarum numerum, et super definitas recidem syllabas accentum, necnon et aliquoties earundem vel similiū litterarum in versuum fine sonum («rima» perfect. et imperf.) in se feliciter arcto et ingenioso vinculo complectantur. Unde fit, ut et priscorum leges (quantitas, pedes, rhythmus ascendens et descendens, arsis, thesis...) et recentiorum 'romanicarum' elementa linguarum (mensura, accentus, et «rima») saepe saepius arcte in unum

14. De Musica. Difficile ergo, ut Professor G. Bonfante conatur, vocales breves (*mālum, mal*) a longis (*mālum, manzana, hispanice*) secernere: «utopia» quae non modo incondicionali ejusdem positioni erga «classicam» sermonis latini prolationem non favet, verum et ipsi quam plurimum obest, eam —ob idque saltem— *impossibilem* reddens. Numquam, medius Fidius!, tantam ac talem tyrannidem, ne in somniis quidem, suspicati sumus. Quem ad scopum, si poëtas exceperis, vix ad aevi classici eruditis —numquam abs dubio a «populo» Sti. Agustini— perventum. Cfr. Eph. «*Maia*», 18,1966, pp. 254-257.

15. Cfr. «*Mélodies gregoriennes*» et Ravegnani: «*Metodo di canto gregoriano*».

16. n.º 30 Introd.

sibi cohaereant: immensa et inaestimabiles harmoniae, aestheticae artis et pulchritudinis scaturigines...! Et... hinc difficultas! Hic scopulus in quem Urbaniani correctores saepissime incurrerunt<sup>16</sup>.

Versus itaque dimeter iambicus —quo potius auctores prae ceteris utuntur—, exempli causa, praeter Prosodiae leges —substitutione et anaclasi frequenti mediante— ita, cum Ravagnani, accentus sibi cooptaret: primarium super sextam, secundarium autem super secundam syllabam. Vgr.: «*Quicúmque Christum quáeritis*». Si ergo accentum rhythmicum-metricum commate (''); accentum rhythmicum-musicalem, punto (.); accentum demum prosodicum, virgula obliqua (') significamus, sequens schema patesceret:

"Quicúmque Christum quáeritis  
óc(u)lōs in áltum tollitē"

In secundo autem versu «*oculos*», cum super antepaenultimam («esdrújula» hispanice) accentum sortiatur, vocalis «*u*» debilis ac postonica, labilis, in cantu decidit atque omittitur: difficultas ergo illa in canendis hymnis persolvitur. Sponte sua hoc, in sermone latino et derivatis, auris efficit nostra. Videlicet: *Oculus* > *oculus* > *oeil* (gallice); *occhio* (italice); *olho* (lusitane); *ull* (valentiane-cathalaunice); *ojو* (hispanice); et fortasse *eye* (anglice) et *Auge* (germanice). Sperant. vero *okúlo* merum ac purum latinum, praeter accentum, sonat.

Sequentes, in Breviarii hymnis, loci sunt, in quibus Prudentius anapaestum pro iambo in 1.<sup>o</sup> impari pede, substituit: 1/ *óculīve*<sup>17</sup>; 2/ *spécūlātor*<sup>18</sup>; 3/ *mědiātor*<sup>19</sup>; 4/ *ódūlōs*<sup>20</sup>; 5/ *hōmīnēmque*<sup>21</sup>; 6/ *mīsérēre*<sup>22</sup>; 7/ *tēnēātque*<sup>23</sup>; 8/ *Stěphānūs per...*<sup>24</sup>. Quibus in locis non «superabundat una syllaba»<sup>25</sup>; sed, ut v. 4 hymni 225, «est metrice legitium, sed addit v. unam syllabam: quod cantui nocet<sup>26</sup>. Servandi ergo tales versus, vgr. «*Teneatque David regiam*»<sup>27</sup>; pro

17. hymn. 33,v.15.

18. hymn. 33,v.17.

19. hymn. 72,v.4.

20. hymn. 81,v.2.

21. hymn. 130,v.16.

22. hymn. 158,v.10.

23. hymn. 225,v.4.

24. hymn. 283,v.15.

25. pp. 127, notis 2.<sup>a</sup> et 3.<sup>a</sup> p. 77, nota 1.; p. 89. nota 6.<sup>a</sup>, cet.

26. p. 227, nota. Solutio de cantu supra allata est.

27. 225,v.4.

ab auctoribus proposito «*Thronumque David occupet*». Et sic de ceteris judicandum. Attamen, qua fieri possit sollertia, cavendum ne remedium infirmitate pejus afferatur. Vgr.: loco substitutionis ordinariae (anapaestus pro iambo, e. c.), ne trochaeus pro iambo (anaclasis inaudita! et nullis poëtarum classicorum versibus robورata) inferatur, ut pro «*Digitus paternae dextrae*» (correctorum Urbanian.) —qui versus non «prava correctio» evaderet—<sup>28</sup>, dicatur: «*Destrae Dei tu digitus*», ubi *tū dī*—, trochaeus, pro iambo substituitur. Igitur, non est «levis licentia»<sup>29</sup> nuncupanda illa inusitata substitutio cum discrepanti anaclasi. Similiter et hymni 54 v. 1, Urbaniani correctores «*Hominis superne Conditor*» (anapaestus pro iambo). Originalis vero «*Plasmator hominis Deus*» (choraeus pro iambo et in 2.<sup>o</sup> —pari— pede!) ab auctoribus admittitur probaturque.

Perperam ergo etiam alibi correctum; sed brevitatis ergo, unum alterumve locum memorabo: 1) Hymni 81, nota 2.<sup>a</sup>, pro gradatione a nonnullis proposita («*celsum, nitens, interminum*») ecthlipsin refugientibus synaloepham tolerando, synonymiae figura effloresceret: «*sublime, celsum, interminum*». 2) Hymn. 96, nota 6.<sup>a</sup>, in ordinaria substitutione (anapaestus pro iambo, in 1.<sup>o</sup> pede) corrigitur, et «—*ti*» brevem «poëta longam computavit» (nota 2.<sup>a</sup>). Qua de causa? Quia —Prudentius saltem— syllabas breves in arsi producit; longas vero in thesi, metro expostulante, corripere festinat. 3) Sensus mutatur v. 7 hymni Prudentii 227: non enim idem «*aram sub ipsam*» (correctores Urban.) ac «*aram ante ipsam*» (originalis): hiatum, ecthlipsin et cacophoniam perhorrescentes.

Laudandum vero quod hymni 81 versus 12 «*Regnavit a ligno Deus*», ob rationes appositas, immutatus remanserit. Pariter hymni 82 v. 20 «*Adire regnum et cernere*», cum ecthlipsi, potius quam illud Breviariorum «*Audire nos et credere*». («*Ipsum audire et credere*»: Breviar. Carmelitarum)<sup>30</sup>. Ceteroquin, optime «*Magi videntes parvulum*», hymni 82, v. 1, «quod necessario mutatur»<sup>31</sup>, propter rationes allatas et referentiam hymni «*Jesus refulsit*». Urbaniani vero correctores «*Videre postquam illum Magi*» proponendo, in magnam syrtem, violentam ecthlipsin, incurrerunt.

Quando vero duplex hymnus proponitur in laudato libro, potius quam alter seligendus alter respuendus, uterque proponitur libere officium recitantibus sibi uterlibet assumendus, ut divitiarum sacrae poëseos nobis copia sufficiat<sup>32</sup>.

28. p. 109, nota 3.<sup>a</sup>

29. Ib.

30. Cfr. «*Ipsum audite*», Mt. 17,5.

31. Ib. nota 1.<sup>a</sup>.

32. Cfr. n. 77 *Introduct.*

33. Cfr. BAC. vol. 58,p.148,n.53.

De Cathemerin. Prudentii XI hymno («VIII kalendas ianuarii»), qui est primus Natalis cantus (*el primer villancico navideño*) occidentalium Camenarum, erui facile potest, pro B. Maria Virgine hymnus (vv. 55-60), Sedulio antiquior poësis mariana latina<sup>33</sup>. Pariter de XII («hymnus Epiphaniae»), qui est primus Ecclesiae latinae hujus mysterii<sup>34</sup>, pluribus vv., in diversis festivitatibus perfrui liceret.

Nihil denique de sequentiis (utpote quae de Missali?), cum Synodus<sup>35</sup> «serventur —inquit— insuper nonnulli hymni latini [in Missa] recitandi».

Nimis forsan auctoribus cordi illud est Vaticani II «iis demptis quae mythologiam sapiunt, aut christianae pietati minus congruunt<sup>36</sup>. Etenim verba «*Olympus, avernus, styx*» et sexcenta alia, adeo omnibus sunt pervia —saltem latitudinem colentibus, ut sumus omnes Ecclesiae latinae clerici—, ut minime remotione vel substitutione indigeant. Aliud autem, si hymni sacri (sicut dicit Ferrerus, + 1524, qui Pisano conciliabulo, 1511, interfuit) nobis de Jove Tonanti et dextra laevaque fulmina ejaculanti et scintillas coruscanti («*lanzando rayos y centellas*», hispanice), pro Jesu Christo Judice, loquerentur. Vel ut sequens stropha sapphica:

Bacchus discedat, Venus ingemiscat.  
Nec jocis locus est, nec escis  
Nec maritali thalamo, nec ulli  
Ebrietati.

Pro hymno dominicae ad Vesperas, tempore quadragesimae: «*Audi, benigne Conditor*». Superari igitur deberet hic scrupulus (?), ideoque et litteraturae et item stilisticae necnon et critices regulis consulere autores videbuntur. Neque enim solummodo metricae rationes, sed et —inquam— et litterariae, stilisticae et criticae periodi, in qua hymni conscripti inveniantur, prospiciendae.

Qua omnia perspicuo linguae hispanicae (quippe quae mihi magis nota) exemplo luce clariora apparebunt. Sancti Joannis a Cruce (Yepes Alvarez. 1542-1591) est hic versus hendecasyllabus: *Vestidos los dejó de hermosura*. Qui suae aetatis tono lectus, ita sonat et scanditur: 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 (Notandum litteram

*Ves-ti-dos los de-jó de her-mo-su-ra*. (Notandum litteram «*h*» aspero spiritu graecorum ('') affectam: «*hermosura* = 'χερμοσύρα-φερμοσύρα»). Qui versus hodie ita sonaret —illo aspero spiritu depertito—, decasyllabus, ideoque catalecticum, constituens versum:

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 Nempe: «*d(eh)ermosura*»  
*Ves-ti-dos los de-jó der-mo-su-ra*.

34. Cfr. ibid. p. 156, nota 1.<sup>a</sup>.

35. die 23 oct. 1967.

36. De Sacra Liturgia, n. 93.

(per elisionem vel synaloepham). Cumque versus ita lectus, catalecticus et deficiens in una syllaba exstet, non nulli possessivum hispan. «*sui*» (pro dolor!) interjiciunt, catalexin vitantes:

*Vestidos los dejó de(«sui»)hermosura.* Correctio quidem, usibus hodiernis apprime consona, at hesternis saeculi XVI, absona. Et nulli dubium quin et in textus et in stylisticae criticesque corruptiōnem pro correctione verteretur. Quem in scopulum saepissime Urbaniani correctores —Scyllam inter et Charybdin, καὶ ἐν βυθῷ ἀλιγάδεια —fluctuantes—, impegerunt.

Pauca menda seu errata, facile typographo imputanda:

- 1) *collucis* pro *collices*, cum verbum secundae conjugationis sit<sup>37</sup>;
- 2) vv. 5-8 pro 85-92<sup>38</sup>;
- 3) *dissice* pro *disjice*, melius quam *disice*<sup>39</sup>;
- 4) 2-12 pro 1-12<sup>40</sup>;
- 5) Forsan mendosa sit illa *O* pro Ω (ómega)<sup>41</sup>.

Haec sunt, quae mihi in his et temporis et loci angustiis notanda occurunt. Quibus, iis, quae fuerint ab aliis peritioribus viris proposta, conjunctis, utinam omnibus numeris absolutissimum Breviarium adipisci gaudeamus!

Deux faxit!

P. PATRICIUS FUENTES VALBUENA, Carmelita Sanctae Teresiae  
Humanarum litterarum  
in Seminario Diocesano Nivariensi (Tenerife, Islas Canar.) Professor

---

37. hymn. 31, v. 10.

38. pág. 78, hymn. 82.

39. p. 30, hymn. 31,v.17.

40. hymn. 32, p. 31.

41. hymn. 77, v.3, p.73.

# DE RE COSMONAUTICA

(eam, quae in n. 206 est edita, pars sexta sequitur)

(XLIX) Quinto nonas mart. MCMLXIX, undecima ante meridiem hora, quae par convenit cum quinta post meridiem apud Italos (di-versus enim horarum index in eo est, quod inter Foederatas Americae Civitates et Italiā sex *fusi* quos dicunt intersunt, singulis solis horis et quinis denis terrestris orbis gradibus convenientes, seu longitudinis nonaginta graduum intervallo inter se distant), ex illa *Cape Kennedy* vehiculis aetheriis propellendis Sede ejusdem nominis *Apollo* capsā, numero vero 9 distincta, in quandam terrestrem orbitam conlineata est, centum duo de septuaginta milia passuum sublime jacta. Eidem capsae cosmonautae James Mc Divitt, David Scott, Russell Schweickart impositi vehuntur.

Illius itineris simulandi initium ducitur, quo fore statutum est ut aeronavis quam primum ad Lunam appellatur: idem iter decem fere diebus peragendum censuerunt qui hujusmodi rebus gerendis praestanti arte ingenioque praesunt. Primum, non sine quodam gravi negotio, naviculae lunaris exemplar, quod *Lem* dicunt, experiri oportet: *araneam* cosmonautae praeter cetera cognomenta appellant ex forma praecipue huic bestiolae prope simili. Nemo est quin censeat quanti momenti hujusmodi experimentum sit, cum ad lunare solum ipsa navicula *Lem* appelli oporteat. E tribus enim cosmonautis, Mc Divitt et Schweickart per interiore cuniculum ex astronave *Apollo* 9 in naviculam *Lem* transferentur, quae jam antea —quadam e partibus, quibus jaculum *Saturno* constat, propellente— longius sublime jacta, mox cum eadem astronave rursus fuerit conjuncta. Instrumentis dein inspectis, quibus lunaris naviculae exemplar est instructum, intus ibidem aliquantum temporis morati cosmonautae se rursum in capsam *Apollo* recipient. Haud multo post autem, denuo egredientur transituri in naviculam *Lem*, e cuius ostiolo foras in immensum se proiciet Schweickart, per inane spatium duobus horis deambulaturus atque ad posticam astronavis partem perventu-

rus; unde retro versus, in eandem naviculam *Lem* per idem ostiolum redibit.

Difficillimum hinc cosmonautas manebit negotium: nam, Mc Divitt et Schweickart summam dabunt operam ut naviculam *Lem* a capsula *Apollo* sezungant eamque in orbitam conlineent ad iter circumterrestre separatim per se aggrediendum; sejuncta, igitur, ambo vehicula, majus scilicet, *Apollo* 9, et minus, exemplar *Lem*, cursum per se ipsa pergent, cum inter se centum octoginta fere chilom. dissent: alterum sic alterum plus quam semihoram persequentur, dum illud *rendez-vous* seu congressum secum invicem expleverint. Quam anxii ac trepidi quicumque —nam sescenties centena milia toto orbe enumerari poterunt— hujusmodi imagines visum convenient, quae in albo televisifico volventur!

Aeronavis *Apollo* in aliam orbitam, a Terra quingenta chilom. distantem, sublimius est interim translata.

Quaeque jam proposita fuerunt, omnia en prospere succedunt: cosmonautae Russell, Schweickart et James Mc Divitt in naviculae lunaris exemplar, seu *Lem* quod compendiariis litteris dicunt, ingressi sunt, quodpiam negotiolum passi in cuniculi portula aperienda: deinde motorium machinamentum experti sunt, quo tardior descensus fiat dum proprius lunarem superficiem adsint, mox ut omnino fere idem exemplar consistat in attingendo lunari solo, passim quodammodo pertuso, quod contra leni lapsu legat antequam se posuerit. Cum optime id successerit, iidem cosmonautae in capsam *Apollo*, qua tertius socius, Scott, adhuc vehitur, per eundem atque antea cuniculum se receperunt. Id unum tamen excipiendum: incommode, quod ad corporis naturam attinet; nam Schweickart nausea ac vomitu se laborasse commonuit; qui tamen a proposito deambulandi per inane non declinavit, sed aliquando tardius ac tribus tenus horae partibus id perfecit.

Nonis autem martiis, quinta ac semihora (undecima ac semihora in Italia) ante meridiem, Mc Divitt et Schweickart in naviculae lunaris exemplar (*Lem*) se receperunt ad extremam rem gerendam, seu primum ad lunarem volatum, mox ad lapsum lenem super satellitis solum simulandum. Nam, David Scott, in capsula *Apollo* usque moratus, quoddam machinamentum aptissime tractans, effecit ut exemplar *Lem* ab eadem capsula sejungeretur ac sublimius se attolleret; ipsum deinceps, sexta fere ac semihora exacta, eandem atque capsae *Apollo* orbitam denuo arripuit. Hic, Scott ipsius capsae cur-

sum ad naviculam *Lem* versus direxit, cuius harpagones, maxillarum more, primum statim patefacti, deinde, clausi, illam adeo compreserunt, ut cosmonautae Mc Divitt et Schweickart, re tandem confecta, in capsam *Apollo* demum ingredi sinerentur. Illius exemplaris *Lem* interim memoria tantum supererit, cum idem, e capsula sejunctum, fato fiet ut in quadam solis orbita finem aliquando habeat.

Tres simul cosmonautae postremo, immortali aucti decore, post quinque alios dies, ex praestituto consilio, in Terram redibunt.

Die enim statuto, tertio idus martias, hora sexta et uno super minuto post meridiem (italico computata more), aeronavis *Apollo*, victa terrestris gravitatis vi, adapertilis umbellae ope adhuc sublimius captata, in Oceani Atlantici aequora est leviter deposita, inter septemtriones et orientem solem, apud insulam *Gran Turco* quam appellant, potius quam apud insulas *Bermudas*, ut erat antea statutum, p[ro]ae malefido Oceani statu. Hinc, in cymbam gummeam, per ejusdem *Apollo* 9 capsae ostium, translatos tres cosmonautas *autogyrus* helicis instructus ad perpendicularm descendens, cujusdam caueunculae ope, ex intorto chalybeio funiculo pendentis, singulos sustulit et in superno navis *Guadalcanal* tabulato depositus, quae a tribus milibus passuum jam eos exspectabat.

Itaque, quinquagesima prima orbita super centesimam circum Terram exacta, illius rei gerendae experimentum, lenis super lunare solum nempe delapsus, est quam optime expletum.

(L) Postridie idus majas, MCMLXIX, russica pervulgandis rebus Sedes (quae vulgo compendiariis notis *Tass* nuncupatur) hoc attulit nuntium (quod quidem aliquot ante horas e britannica speculatoria turri, loco, quem Jodrell Banz dicunt, exstructa, jam erat emisum): speculatrixem machinulam, cui *Venus* 5 nomen, per inane jactam, cum quinquagies et ter millies centum milia chilom. spatia corripuerit, in caeleste stellae Veneris templum pervenisse: multiplicum struem, qua fuerit eadem machinula instructa, instrumentorum, quibus opus futurum sit ad caeli condiciones p[re]vestigandas de venusino orbe, sejunctam, descensum confecisse per quinquaginta tria prima temporis momenta ( $m'$ ), adapertilis umbellae ope; quo eodem tempore aliquantulum de re cognita in Terram studiosis transmisisse viris. Nihil aliud russica vulgatrix sedes superaddidit, ne quidquam de instrumentorum quidem usu, quae verisimile lique-

facta esse videtur propter maximum caloris indicem (octoginta nempe ac ducentos gradus), adeo ut nihil omnino amplius transmitti potuerit. Penitus postremo tacuit cum machinula se leni lapsu, ex praeviso, in venusina superficie posuerit. Quod silentium profecto comprobet infecta rei gestae mandata, vel potius mediocri cessisse exitu inceptum. Meminisce peropportune juvat ne machinulam quidem *Venus 4*, decimoquarto kal. nov. MCMLXVII jactam, satis certiores nos fecisse de soli venusini statu. Nuntiatum id temporis fuit machinulam se rectius gessisse modo superficie Veneris stellae tacta tenuis. (*V. Palaestra Latina* n. 201, m. martio, MCMLXVIII).

Alia hujusmodi speculatrix machinula, cui nomen *Venus 6*, eodem mense octobri jacta, in venusini aeris templum, una interjecta die a praecedenti machicnula *Venus 5*, est deinceps et ipsa, etsi per aliquod incommode, ingressa, paululum et ipsa mandatorum explevit.

(LI) Decimoquinto kal. jun. MCMLXIX, hora fere sexta post meridiem (ex italico meridiano computata), decima astronavis *Apollo* extremum ex illa *Cape Kennedy* jam vulgo nuncupata Sede volatum experitur, quod descensus leni lapsu in lunarem superficiem simulari placet, post duos hinc menses probabilius perficiendus. Itaque, hora praestituta, capsula *Apollo 10* e declivi aeriis sustollendis machinis est in sublime jacta, quam circum ingens fumi ac pulveris latius crassa funditur nubes, dum foedissimae tempestatis instar erumpunt tonitrua.

Post duo minuta prima ac duas tertii minuti partes, sectio quae-dam illius jaculi vectoris, quod *Saturno 5* appellant, expleto roboris propellantis munere, sponte se jungit, in Atlanticum Oceanum, apud insulas *Bahamas*, projecta; subit illico altera sectio, quae capsam in orbitam terrestrem versus propellit, sedecim ac centum milia passuum ab ipsius Terrae superficie. Tempus est cum cosmonautae Thomas Stafford, Eugene Cernan, John Young, de re cosmonautica jam non equidem tirones, inspectant num varia capsae instrumenta et apparatus sua quoque munera recte opportuneque perficiant. Cum interim, in ipso caeli apice, qui orientalis Australiae orae imminet, per automatam fibulam, tertia jaculi vectoris sectio, roseo glauco-que colore flammescens, haud dubium dat indicium iter ad Lunam versus iniisse, cum eadem capsula terrestris gravitatis vim effugerit.

Tertio volatus die acto, cum nullius momenti negotia nostri cos-

monautae habuerint, iter ad metam ultiman persequendam expedito patet, cuius rei indicium ipsa lunaris umbra videtur, quae capsae *Apollo* imminere jam coepit. En interim eadem capsae, celerius iter properans propter lunaris gravitatis vim, post alteram Lunae faciem semihorae circiter spatio abdita latet; in conspectum deinceps redit, in orbitam se immissura, cursum ex industria refrenans, ut compluribus milibus pro singulis horis contrahat. Inter subsiciva autem opera summae est curae imagines splendidis variisque coloribus impressas in Terram per aetherias undas transmitti: «...nostra globosa errans stella, tam longinquo interjecto spatio —ait Young— o quam similis conspicitur illi lusoriae pilae, quae manubriato reticulo tractatur!» (1).

Paulo jam ab inito volatu quarto peracto die, naviculae lunaris exemplar, quod —ut jam supra diximus— compendiariis litteris *Lem* dicunt, postquam duos cosmonautas, Stafford et Cernan, ex astronavi majore (*Apollo*) translatos in se recepit, ab illa, non sine aliquo incommmodo, sejungit, cum tertius, Young, in eadem exspectans moretur, et in orbitam superiorem se confert, quinto ac decimo chilometro a satellite nostro vix distans. Postquam lunaris superficies est diligentius perspecta et complures pelliculae lucis ope variis sunt impressae coloribus, quarum imagines in Terra, super cinematographei albo, conspiciantur, idem lunaris naviculae exemplar appropinquant, se cum astronavi principe rursus conjuncturum. Quo perfecto negotio, necesse expellitur, ut, quadam solari orbita expleta, per immensum pereat inane, cum princeps aeronavis (*Apollo 10*), tribus una receptis viris, postquam per integrum alium diem Lunam circumierit, praesto demum videatur ad terrestrem oram reditui.

(Quoad res vel minimas, quae quidem ad machinamenta manu tractanda pertineant, v. narrationem XLIX in *Palaestra Latina*; non enim aliae sunt ac nunc temporis).

Itaque, prioris volatus, eundi seu itineris causa, septuaginta sex horis exactis, aeronavis *Apollo 10*, postquam semel et tricies est circumvoluta Lunam, unam et sexaginta horas consumens, alterum aggreditur volatus, redeundi seu causa. En, igitur, non secus quam quod est jam pridem praestitutum, pauca desunt minuta sextae post meridiem horae, a. d. VII kal. jun., cum ingens navis, aerovehicula

---

1. italicice: simile a quella palla, che si usa nel gioco del «tennis».

gerendo instructa, cui nomen *Princeton*, in Oceani Pacifici aequore praesto cosmonautis excipiendis consistit, non longe ab insula *Pago-Pago* quam dicunt, apud illud pelagi spatium insulis *Samoae* referatum. In superno demum ejusdem navis tabulato per cymbam gummeam positi, tres hi viri quam qui maxime feliciter tantam perfecerunt rem. (Quorum reditus si vel minimas res nosse velis, legassis, quae jam Palaestra edidit in narratione XLIX: nam, eadem ratione atque illae sunt et ista comparatae).

**Prof. JANUARIUS MARINELLI**

Via Salvator Rosa, 241

Neapoli in Italia

## XX CERTAMEN CAPITOLINUM

ad solutam orationem latinam fovendam felicem habuit finem auspiciis Instituti Studiis Romanis provehendis. Cujus Moderatoris humanissimi Dnni. P. Romanelli libentissime obsequimur placitis scriptoresque latinos renuntiamus, qui ex XX Certamine Capitolino excesserunt victores.

Primo praemio est insignitus Prof. Aedilius Marelli, Ticinensis, ob opusculum quod «Ad filiam epistulae» inscribitur. Secundum in certamine obtinuit locum disputatione cui index «Ales capti» Prof. Theodorus Ciresola, Mediolanensis, qui totiens Palaestrae Latinae paginas scriptis suis honestare solet, cuique sinceram immo corde mittimus gratulationem.

Publica quoque laude sunt ornati Prof. Nilus Casini, Humbertus de Franco, Josephus Morabito. Quibus omnibus victoribus renuntiationis praemiisque ac diplomatis exornatis, die 21 m. april. Romae XXI Certamen Capitolinum indictum est. — M. MOLINA, C.M.F.

### «AD HUMBERTUM DE FRANCO IN CAPITOLINO CERTAMINE PUBLICA LAUDE NUPER ORNATUM»

Optatissime Sodalis,  
laeta quam nuper in Capitolino Certamine rettulisti victoria gaudio amicos tuos implet: pulcherrimae enarrationis paginae, quas de puerorum ludo, qui italicis verbis «gioco dell'aquilone» nuncupatur, tanta venustate texuisti atque animi suavitate quae nostra praesertim aetate, tam segni et in colendis studiis humanisque virtutibus persequendis enervata, haud facile reperire queant, clarissimis ab illis delectis viris ad optima latine exarata seligenda publicam obtinuerunt laudem.

Plus quam semel dignus evasisti qui, in victorum jure meritoque habitus numero, in Urbe, totius orbis clarissima Capitolinaeque in Aedis fastigiis laurum acciperes: «... Id autem quod hic conventus non alibi sed hic Romae, non alibi sed hic in Capitolio, Urbis hujusce et antiquissima et celsissima et sacratissima sede hodie solemniter inauguratur», ita enim Casimirus Kumaniecki, in Varsovieni Studiorum Universitate Professor, inauspicali aditialiique sessione omnium gentium ac nationum conventus latinitatis tuendae romanorumque litteris et linguae fovendis a die XIV ad diem XVIII mensis aprilis MDCCCCLXVI Romae habitii, «omnium nostrum qui longis itineribus confectis huc convenimus animos mirum in modum quantum excitat quantum movet!!».

Repetita victoria firmat quae compluries tradenda duximus: te non solum callere latini sermonis usu verum et venustum et

lepidum et humanitate praeditum esse scriptorem. Quis praecipuarum hujusmodi dotum expers tam vivide enarret? Haud multi enim inveniuntur qui, cum in romanorum sermonis studium incumbant, eruditione redundant ac doctrina emineant, calatum autem pertractare ad enarrandum sciant. Dulcis et fusus, venustus et lepidus, humanitate imbutus fluit calamus tuus: in mentem nunc venit bestiolae, cui Zizzi nomen, tristissimae mortis quae dominum funere mersit acerbo, vel clarissimi illius Josephi Dusmet, Catinensium desideratissimi Pastoris, vitae pie exulta, vel tuorum per orbem itinerum honorumque contentionis enarrationum.

Cum Herodoto Thurio in referendis itineribus te comparare ausim: nam quae vidisti, ut logographus et periegeta, miro gaudio refers («... Quid senserim ipse in iis pererrandis veterrimae excultaque gentis finibus —quorum aliquid mihi prius fuerat scientiae, perfectis Herodoti ceterorumque auctorum libris—, supervacaneum prorsus profiteri videtur: qui legunt, ii sequentibus ex meis chartis propediem accipient quatenus omnia illius invidendi cultus vestigia animadverterim miratus, nihil dissimulatis iis quae minime probanda mihi ipsi saltem visa sint...»); Catulli Veronensis venustate perfunditur fabula bestiolae, «... quae segnis saepe et somniculosa eademque agilis celerisque interdum apparet eundi, docilis autem ac ludibunda neque illepida, sed repente infida ac proterva neque immitis, continuo esuriens et famelica, at subito, nulla causa, fastidiens omnia...»; totum te ipsum nec non ingenium tuum expromptum invenimus in libello, qui inscribitur «Quo mea honorum evaserit contentio», ubi aperte ostendis quid de politicis agonibus sentias quantoque fastidio affectus sis cum «... ambitioni imparem... demum esse professus, utpote qui, umbratili dumtaxat ac domestica quadam dicendi usus consuetudine, cum ipse ne animi quidem causa prius declamassem, sesquipedalia verba tamque insignita edere nescirem verba, quorum oratores essent studiosi...», flagitantibus amicis —probis iisdemque gravissimis— ut ad rem publicam accederes, haud restiteris ac facere non potueris quin cuidam candidatorum agmini nomen tuum frustra renutans addideris. Libertatem, cuius studio semper flagrasti, amiseras, nisi praeteritus Camenis tandem esses restitutus.

Dum ephemerides publicam in Capitolio coram claris viris ovantibus plaudentibusque tibi tributam esse laudem nuntiant, sodales, collegae, docti viri, discipuli cuncti gratulantur recens ob decus quod Catana, ignivoma Urbs Agathae et Heuplio sanguine decorata, humanorum studiorum sedes civiliumque virtutum indagatrix, per te, Latinitatis strenuum vindicem, nuper acceperit.

**Prof. ANTONIUS PAGANO**  
**Via Leonardo da Vinci, 8**  
**CATINAE (Catania) in Sicilia (Italia)**

# PABULUM MENTIS

Quem in sudore vultus comedere debemus panis multoties jam a viris cum eloquentia praestantibus tum ingenio insignibus praedictatus est ut cibus humano generi in excultiore quodam vivendi modo versanti proprium, aptum, necessarium.

Antiquissimis aevis, quae palaeolithicum et mesolithicum docti vocant, quibus homines nec agros colebant nec tecta exstruebant, carne adipeque praecipue vescebantur quas venatio cottidiana ad portabat. Etiam nostra aetate gentes sunt aliquot in quibusdam aviis Americae Meridionali regionibus, quae vitae consuetudine haud absimili utuntur: caput avium pennis ornant, ceterum nudi incedunt, sagittis venenatis armati cum finitimiis generibus cottidianis fere proeliis contendunt. Nec cophinos habent nec apothecas: quidquid dies attulit praedae vesperi absumitur, seponitur nihil.

Octo milia circiter abhinc annos, cum homines coepti sint agros conserere et subire magalia, victus quoque non mediocriter est immutatus: homo qui haud secus ac cetera animalia ad corporis vires sustinendas indiget cibo, eum non jam crudum sumpsit, ut natura praebet, sed eum coquitatione et maceratione nec non et condimentorum additione saporatiorem et salubriorem reddere studuit. Venatio veru infixa ignis ope moliebatur. Fruges exquisitus praeparatae.

Cum autem angustiis spatii et imprimis ingenii facultate prohibebar, quominus de historia panis fusius disseram, quaedam tamen proponere velim, quibus ea, quae infra demonstrurus sum, magis illustrantur.

Principio frumenti grana lapidibus conquassata seu pinsata sunt —«tunsa Ceres silicum rapido decurrit ab ictu», ut in lepidissimo poematio Vergiliano legimus— et farina aqua permixta in juris aut pultis forma gustata. Tum veteres massam spissaverunt et frusta

exilia vel super laterem vel in cinere et favilla arefecerunt. Gentes quae Orientis plagas incolant primum panem in furnis coxerunt. Israelitae tempore Patriarcharum panem sine fermento tantum noverunt, sed post septingentos circiter annos Paschatis dumtaxat tempore azymos, symbolum puritatis et sinceritatis Moyse praecipiente manducavere.

Nostra tempestate modus panis conficiendi ad volventis temporis necessitates, ut liquet, accommodatus est: in officinis machinariis maxi plerumque ordinis granum molitur, farina subagitur, panis coquitur. Agrorum labor varias fruges gignit e quibus panis conficitur, ut puta ador, vetustissima Romanae gentis esca, triticum et secale, quibus hodie maxime utitur, sed et hordeum et zea mays, quam vocant. In nonnullis Indiae regionibus oryzam sativam molitam ad similitudinem panis efficiunt. De pane autem nigro et albo, de pane autopsyro et bis cocto, deque aliis panis generibus singillatim disserere supersedeo, vel hoc argumentum aliis tractandum libenter relinquam.

Homo in mundo hoc positus, super omnes creaturas rector et dominator constitutus animalia cetera, terrestria, aquatica et volatilia, nequaquam corporis viribus sed solo rationis usu antecellit. Cum vitae rationem homo nobili statui suo magis congruum adeptus esset, victus quoque peculiariter commutatus in consuetudinem venit: alimenta, ut jam supra demonstratum est, coquendo salubriora fecit et muneribus cerealibus copiosius in dies vescebatur.

Hujus rei causam ex parte saltem viri chimiae physiologicae peritissimi enucleavisse videntur. Cuncta nutrimenta quibus hominum alitur genus ex adipi, albumino et carbonei hydratis composita sunt. Quae tria in pane quoque offendimus, sic tamen, ut carbonei hydrata ceteras materias longe superent copia.

Sedes intellectus et rationis cerebrum, vel ut accuratius dicam, materia grisea corticis cerebri ganglionaribus cellulis insignis, vim caloris, qua ad metabolismum peragendum indiget, nonnisi ex glucosi demere potest. Vim caloris autem, qua artuum musculis opus est, adipes abundantier et commodissime dilargiuntur, utpote qui in ipsis muscularum texturis comburantur. Pabula adipem imprimis

continentia iis propterea magnopere sunt utilia, qui continuis labo-ribus corporis se exercent, sicut homo ille primigenius, qui assiduis venationibus fatigatus extis adipalibus bestiarum captarum se refe-cit. At contra nostra hac aetate homines, qui mentis praesertim la-bores patrantes cerebro magis utuntur quam artibus ex adipe abun-dantius allato facere possunt nihil, quippe qui in glucosim transfor-mari non queat.

Debet ergo homo in his rerum adjunctis carbonei hydrata ex ali-mentis desumere, ne cerebrum quos istis substantiis indigeat, albu-mina aut per nutrimenta allata aut in corporis fabrica deposita in glucosim vertere compellatur, maximo cum totius corporis frugi dis-pensationis detimento. Accedit quod carbonei hydrata facile in adipem transformantur et in corpore deponuntur, ut inde musculis, quotiescumque iis opus fuerit, praesto sint.

Summopere ergo ingratum est erga Deum, «a quo omnia exspec-tant ut det eis escam tempore suo» (Ps. 103,27), si coaevi non pauci tam praestans et salubre alimentum adeo parvi aestimant, ut non solum micas aut frustula dura, verum etiam integros panes simila-gineos, quin immo et pastilla et placentas neglegenter abjiciant. In nationibus valde progressis oeconomice coloni non raro praemiis alliciuntur, ut partem agrorum cultu vacare sinant, ne messis nimis ubera annonam laxet. Et iidem sunt viri, qui ob augescentem in dies natorum numerum anxii verentur, ne multitudines hominum celerius crescant, quam vitae opes, quae praesto sint, admittant et ad hoc periculum vitandum vias suadent et rationes normis ethicis vehementer repugnant. Ii potissimum, quos penes facultas est et auctoritas curare debent, ut panis in mensis hominum satis suppetat et nationibus quae ad progressionem nituntur eas, quibus indi-geant, congruas opes porrigant, ut unusquisque pro sua dignitate vitam ducere queat. Non immerito ira movetur populorum fame la-borantium, si nationes edulibus bonis redundantes fruges atterunt aut profundunt, ne quibusdam civium ordinibus enascantur detri-menta.

Panis praestantia et usu, non dixerim explicatis, summatim ta-men perstrictis, novo eodemque nobiliori sensu et verbali fere sig-

nificatione eae apparent preces, quae christicolae toto orbe terrarum, ipso divino Redemptore docente ad aeternum rerum Conditorum et Conservatorem fundunt, dicentes: «Panen nostrum quotidianum da nobis hodie.»

**Dr. GUSTAVUS WALLNER**  
**Vindebonae in Austria**  
**Hansi Nase - Gasse 3**  
**A - 1190 Wien**

# B I B L I O G R A P H I A

HARMAND, J. — *L'armée et le soldat à Rome avant de 107 à 50 avant notre ère.* Pag. I-XXIII; 1-538. 74 F.

*Une campagne Césarienne, Alesia.* Pag. 386. 56 F. Editions A. Picard et Cie. Paris, 1967.

Jacobus Harmand, Universitatis Professor Museorumque Nationalium Curator, duo opera de re militari romanorum, cuius peritissimum aestimamus, in aedibus A. et J. Picard vulgavit.

Primo volumine, que “L’armée et le soldat à Rome” (de 107 à 50 avant notre ère) inscribitur, hae continentur : Reforme marienne du Recrutement. L’ARMÉE (Effectifs, armes, tactiques ; armament ; castramétation ; structures logistiques ; la question de la marine). — LE SOLDAT (la personnalité des légions post-mariennes ; l’homme de troupe ; les cadres ; réalité psychologique et valeur militaire ; soldats et généraux). — Conclusion. — Indices. — Tables.

J. Harmand, fontibus litterariis fontibusque testimoniorum archaeologicorum nixus, opinionem totis viribus oppugnare contendit, qua historia militaris extremae rei publicae apud historicos plerunque laboravit : meritum vimque exercitus Caesaris fructum fuisse renovationis illius mariana in militibus deligendis.

Rationibus argumentisque J. Harmand illustramur quo pacto Caesar ex suo ingenio atque facultate creandi in disciplina militari efficere potuerit fortē validumque exercitum in re publica paene prolapsa romanorum.

Altero volumine, cui index “Une

campagne cesarienne : Alesia” (Le paysage et l’oppidum. — Les armées. Les travaux de César. — Possibilités de restitution de la campagne d’Alesia. — Conclusion. — Cinq Indices. Tables), labores operasque Caesaris ad Alesiam expugnandam primum historice inquiruntur luce documentorum quae in archivis Secundi Imperii servabantur quaeque ab anno inde 1949 vulgari coepérunt, et documentorum Commissionis Archaeologicae Galliarum (a. 1861-1862) quae auctor iterum invenit. Ex locorum natura seu topographia J. Harmand eruere jure audet conclusiones in re militari quae adhuc neglectae erant.

FREMY, P. — *Exercices latins sur la grammaire.* Clases de 6<sup>e</sup>, 5<sup>e</sup> ou 4<sup>e</sup>. Société d’Edition d’enseignement Supérieur (S. E. D. E. S.), Paris, 1967.

Petrus Frémy, Professor ac paedagogus in litteris latinis tradendis peritissimus, suis operibus maxime jam diu agnoscitur atque commendatur. Auctor duorum librorum collectionis cui index “Aidez votre enfant à bien travailler”, simul atque cuiusdam Grammaticae latinae, in praeseus opus munusque magistri perficit hoc volumine quod “Exercices latins sur la grammaire 1.<sup>er</sup> Cycle” inscribitur.

Quo quisque professor pro scholis latinis sibi alumnisque operam commodiorem facilioremque reddere potest, ut ipsius auctoris verbis utar quae in prooemio proferuntur : “Nous espérons que ce livre *d’Exercices* pourra être comme un pont entre la grammaire et le *De viris*, dont la lec-

ture est, a-t-on dit, "irremplaçable", et auquel nous avons fait, du reste, beaucoup d'emprunts".

VROOM, DR. H. — *Centum Carmina* quae composuit Guido Gezelle latinis versibus Dr. H. Vroom reddit. E. J. Brill, Leiden, 1967. Pág. 280. 16 guilders.

Optimis sane auspiciis optimoque maecenate Dr. M. Vroom "CENTUM CARMINA" quae composuit Guido Gezelle latinis versibus reddita in lucem vulgavit, nam in exordio libri ad calcem legimus: "Hisce carminibus edendis sumptus subministravit Supremum Consilium Nederlandiae dictum "Ministerie van Cultuur, Recreatie en Maatschappelijk Werk".

Bene ad nos perveniat vates flandricus Guido Gezelle (1830-1899) aetatis suae poeta princeps omnium peritorum judicio agnitus venustissima veste latina induitus a clmo. poeta Dctre. H. Vroom, qui pleraque ex his centum carminibus antehac passim in commentariis dictis "Hermeneus", "Nova et Vetera", "Gezellekroniek" et in libello cui titulus "Carmina Gezelliiana" (ed. Paul Brand, Bussum, 1955) edidit.

Doctor H. Vroom duobus columnis textum flandricum et latinum mira arte typographica in officina E. J. Brill (Leiden, 1967) paratum praebet. Ad interpretationem latinam quod attinet, nobis omnino arridet jureque probatur, nam interpres castigato latine dicendi genere in carminibus rhythmice reddendis venustatem, suavitatem, gracilitatem candoremque textus flandrici primigenii observat religiosissime. Admonitos volumus lectores Dctrem. H. Vroom docte periteque metra quoque classica usurpare, ut ex novem ultimis carminibus patet.

GRIMAL, P. — *La formazione dell' Impero Romano*. Storia Universale Feltrinelli. Feltrinelli Editore, Milano, 1967. Pág. 387. L. 1000.

Quod volumen legentibus nunc praebemus septimum est per amplae collectionis cui index STORIA UNIVERSALE FELTRINELLI. Quae historia necessitatibus recentissimae historiographiae, ut tempus postulat, aptatur. Nam hac nova ratione exponendi res gestas non tantum eventus politici, bella gentiumque occupationes tractantur, verum etiam historia in universum sumitur atque investigatur tamquam fructus laboris atque industriae humanae in iis quae ad litteras, philosophiam, artes, scientias, jura, leges, res oeconomicas socialesque pertinent, ita ut sex et triginta voluminibus tota hominum historia contineatur atque evolvatur.

Septimum hoc volumen clmus. historicus Dr. Petrus Grimal in lucem edendum curavit praestantissimis in re viris operam cum eo sociantibus. Qui omnes quo pacto imperium romanorum partum sit investigant: primum quo modo romani fines suos amplissime (202-129 a. Chr.) protulerint (p. 7-90); deinde in quod discriumen vitae ultimum (133-49 a. Chr.) inciderit res publica (p. 91-184); denique inde a dictatura usque ad principatum (49 a. Chr. 14 p. Chr.: p. 185-329). Opus in fine illustratur notulis (p. 331-354), bibliographia (p. 355-364), indice analitico (p. 365-382), indice universo (p. 384-386).

GARCÍA Y BELLIDO, A. — *Las religiones orientales dans l'Espagne Romaine*. Ed. E. J. Brill, 1967. Leiden. Pag. 166. Planches: I-XX. Price: 44 guilders.

(Leiden, 1967) optimo omine ad nos pervenit quintus tomus corporis quod "Etudes préliminaires aux religions orientales dans l'empire romain" inscribitur a M. J. Vermaseren in lucem edendum, ut judicio critico aestimemus.

Quod exaravit volumen "Les religions orientales dans l'Espagne romaine" Dctor. A. García y Bellido, clmns. historicus hispanus antiquitatisque graecae ac romanae indefensus investigator, qui fuse sciteque agit de religionibus seu cultibus illis orientalibus qui praeter graecum ac romanum in Hispania floruerunt, juxta indicem: I. Divinités phéniciennes (1-17) II. Divinités gréco-orientales (18-20) III. Mitra (21-41) IV. Cybèle-Magna Mater (42-55) V. Attis (56-63) VI. Mâ-Bellona (64-70) VII. Aphrodite d'Aphrodisias (71-72) VIII. Sabazios (73-81) IX. Mémésis (82-95) X. Cultes syriens (96-105) XI. Isis (106-124) XII. Sérapis (125-139) XIII. Dea Caelestis (140-151) XIV. Hercules Gaditanus (152-166).

FIRPO, L. — *Erasmo da Rotterdam, Il lamento della Pace*. UTET, Torino, 1968. Pág. 208.

Ecce in manibus, lectores, habemus verum ut ita dicam miraculum typographicum. Neque extra modum equidem laudibus extollo librum. Quae novitatis hujus causa? Domus Editrix U.T.E.T. Augustae Taurinorum, ut in more est, extremo anno 1967 diem natalem Christi agens, pretiosissimam accuratissimamque editionem quasi strenam amicis, auctoribus, lectoribus obtulit, quae inscribitur: "Querela pacis undique gentium ejectae profligataeque auctore Erasmo Roterodamo".

Per opportunus quidem liber hac nostra aetate qua omnes orbis terra-

rum gentes ardentissime exoptant pacem pacemque in tot civitatibus desiderant. Erasmi Roterodami oratio —tam luculenta, tam pressa, tam im- placabilis— hodiernos quoque homines admonet bellum in praesens, ut ineunte saeculo XVI, immanem errorem humanum esse atque abnormem adeo ut minime cum ratione multoque minus cum conscientia christiana conciliari possit.

In hac editione primum scitissimum praeit prooemium a L. Firpo conscriptum de Erasmo Roterodamo deque ejus vita, oratione seu "querela pro pace" atque pro pace sua aetate industria studioque (p. 7-24). Deinde interpretatio prostat italica, quae omnibus certo probabitur (p. 27-83); quam interpretationem insequitur textus latinus qui eamdem editionem exemplarem Basileae in aedibus J. Froben a. 1517 vulgatam photographice restituit (p. 84-138). Denique liber explicit disputatione de praecipuis eisque quamplurimis Erasmi imaginibus seu picturis, numismatis aeneis, sculpturis in ligno, lineamentis carbone depictis, signis, funereisque personis quae sive ab eximiis sive a sine nomine artificibus sunt expressae (p. 141-206). Quod opus in deliciis erit exquisitissimo cuique severissimoque librorum amatori.

SIBILIA, G. — *Sintassi della lingua latina positiva filosofica*. Libreria Editrice S. Scolastica, Subiaco (Roma), 1967. Pág. 516. Lire 5000.

Neminem, qui in libris de re grammatica mediocriter sit versatus, praeterit quam difficile videatur syntaxim latinam nova ratione ac via retractare. Quod tamen, quamvis arduum, fieri posse patet ex recenti opere cui index "Sintassi della lingua latina positiva filosofica" a Prof. Cajetano

Sibilia exarato. In eo enim est nova ratio ac via ut auctor intendat non solum expositionem quandam scholasticam totius corporis regularum syntacticarum verum etiam rationabilem seu logicam earundem aestimationem. Nam hoc ante oculos habet Prof. Sibilia quod syntaxis latina non est quasi acervus seu concretio fortuita regularum quaestionumque neque magis minusve subtile grammaticorum artificium sed corpus quoddam unum ex se atque cohaerens rationique humanae consentaneum. Quae unitas atque cohaerentia intimam eamque rationabilem naturam regularum syntacticarum expostulat.

Auctor in exponenda syntaxi latina hanc duplicem servat viam: primum regulas grammaticas proponit exemplis, ut consuetudo est, illustrandas ("sintassi positiva"); postea commentarium philosophicum seu logicum cujusque plerumque regulae syntacticae facit ("sintassi filosofica"). Ceterum Prof. Sibilia in tractanda syntaxi latina ordinem observat usu apud grammaticos receptum: in prima parte de verborum consensione seu convenientia agit (p. 30-57), de casibus (p. 58-184), de singularibus quibusdam rebus syntacticis atque stilisticis (p. 185-208), de pronominiibus (p. 209-228), de adverbii (p. 229-236). In altera parte de syntaxi temporum (p. 245-277), de temporum consecutione (p. 278-299), de infinitivo (p. 300-326), de syntaxi modorum (p. 327-372), de periodo (p. 373-381), de modis in propositionibus dependentibus (p. 382-489).

Ad novam tractandae syntaxeos latinae rationem quod spectat, laudandus sane Prof. Sibilia, praesertim cum intempium negotium sit aggressus. Quod minime dubii est nobis quin valido linguae latinae cognoscendae futurum sit adjumento. Forsitan

autem non nulla commentaria quarundam regularum philosophica, cum nimis forte subjective proponantur, omnibus non adrideant. Auctorem audiamus ipsum qui sese ita purgat: "Le nostre valutazioni ed interpretazioni sulla razionalità del costrutto latino non pretendono di essere infallibili, né di imporsi come cose obiettivamente acquisite, o da acquisire, con il crisma della indiscutibilità; molte di esse, anzi, sono senz'altro opinabili. Crediamo tuttavia che sarebbe ingiusto giudicarle carenti di solidità nei presupposti filosofici da cui se muovono o di prudente discrezione e, quanto meno, di una certa probabilità nelle applicazioni che ne faciamo" (p. 14).

Utilissimum fore opus putamus praesertim magistris, immo et non nullis audacibus alumnis, qui vehementius altiusque studium philosophice callendae syntaxeos latinae conferre ausi fuerint.

DI GREGORIO, L. — *La scene d'annunzio nella tragedia greca*. Editrice VITA E PENSIERO, Milano, 1967. Pág.: VIII-109. L. 3000.

Dctor. Lambertus di Gregorio altius investigare contendit momenta illa seu scaenas in dramatis graecis, in quibus nuntii fliebant, accurate perquirens quo tempore modoque ex formis Aeschyli et Sophoclis non constantibus neque riete definitis transitum sit ad "formam certam" Euripidis.

En libelli totius index: I. Caratteristiche generali della scena d'annunzio e della figura del messagero (p. 3-24) II. Motivi delle scene d'annunzio (p. 25-32) III. Evoluzione strutturale delle scene d'annunzio: A)-Agli albori della tragedia (p. 33-53) B) Eschilo (p. 54-68) C) Sofocle ed Euripide (p. 69-97). Conclusione (p. 98-

102). Bibliografia (p. 103-104). Indice dei loughi citati (p. 105-109).

Opus Detris. L. di Gregorio sese merito commendat propter argumentorum pondus atque auctoritatem, quibus usus est auctor ad amplius enodandam primigeniam tragoediae graecae structuram.

ZINTZEN, C. — *Damascii vitae Isidori reliquiae*. Georg Olms Verlag, Hildeheim, 1967. Pág. 376. DM 79'80.

Non nulla ex praefatione oportet excerpere ad aliquam cognitionem operis quod inscribitur "Damascii vitae Isidori reliquiae". Damascius discipulus Isidori magistri vitam posteris enarratam circa annum quingenstimum post Christum natum tradidit. Quae tamen vita, quamvis temporum iniquitate perdita, non omnino evanuit, sed a Photio patriarcha quodam modo est conservata. Isidori vitae reliquiae maximi videntur momenti ad illius aetatis indolem, facta, instituta cognoscenda nec non ad placita philosophorum intellegenda, nam Damascius non tantum Isidori magistri vitam narravisse traditur, verum etiam Isidori quamplurimos aequales induxit atque depinxit philosophos Graecanicos qui tum temporis et Alexandriae et Athenis philosophabantur. Praeterea ex Damascii testimoniis controversiae patent quae inter philosophos graecos et christianos olim exortae fuerant.

Primum praefatio luculentissima (p. I-XIII) de Damascii vitae Isidori reliquiis antecedit, ubi Clementis Zintzen, qui hanc editionem paravit doctissime, verba legere licet: "Cum eam consuetudinem atque illius saeculi ingenium praecipue e Damascii libro intellegere possimus, omnibus qui illam aetatem perscrutantur spero

gratum me fecisse quod illius libri textum ad artis criticae normas constituere, ordinem fragmentorum recensere, sententias reliquiarum adnotacionibus illustrare studui" (p. VI).

Deinde textus graecus invenitur, ubi Epitomae Photiana Fragmenta restituuntur (p. 1-309), cum fragmentis dubiis et incertae sedis (p. 310-316), et Appendice seu Photii de Damascii vita Isidori judicio (p. 317-319).

Denique in fine operis indices prostant per utiles: I. Sedes fragmentorum (p. 323-330) II. Index nominum propriorum (p. 331-341) III. Index locorum (p. 342-344) IV. Index verborum (p. 345-376). In apparatu critico lectiones nativae aliorum codicum, correctiones, adnotationes memorantur, quo aptius faciliusque textus primigenius restituatur.

MEYER, E. — *Pausanias, Beschreibung Griechenlands*. Artemis Verlag, Zürich und Stuttgart, 1967. Pag. 776. Ln. 48.

Unam tantum plenam ac perfectam apud antiquos Graeciae classicae descriptionem habemus quam Pausanias, circa annum 150 post Christum natum in lucem editus, conscripsit. Universa Graecia in ea assurgit veneranda cum urbibus, aedificiis, templis, monumentis. Pausanias, indefessus viator, totam Graeciam diutissime peragravit, ita ut decem libris omnia quae ipse vidisset descripserit.

Pausania dempto, pauca eaque non absolute illius antiquitatis classicae cognosceremus, quales verbi causa fuerint Athenae, Sparta, Olympia, Delphi vel obscurissimus quilibet locorum quos lustravit Pausanias. Pausania autem comite in itinere, omnia in Graecia renascuntur citatissimoque gressu nobis obviam veniunt. Itaque

per Pausaniam scimus quam vitam in prisca Hellade graeci degerint tam clare distinque ut facile humanus graecorum cultus rite quasi reveletur atque significetur.

Gratissimo animo suscipienda germanicae linguae cultoribus haec pulcherrima Pausaniae editio atque interpretatio vernacula a clmo. Prof. Ernesto Meyer exarata omnique fide digna (p. 55-539). Notandam praeterea ducimus introductionem quae inscribitur "*Pausanias und sein Werk*", ubi amplissimam Pausaniae notitiam habemus ceterarumque rerum quae cum eo quoquo modo conveniunt (p. 10-12), nec non et utilissimas adnotaciones quibus decem Pausaniae libri illustrantur (p. 543-723) et quamplurimos indices chartasque geographicas urbiumque descriptiones (p. 724-774), praeter pulcherrimas imagines luce impressas passim sciteque per volumen distributas quibus vivida, perennis, hodierna, Graecia classica resurgit.

**GREVISSE, M.** — *Le bon usage, Grammaire française avec des remarques sur la langue française d'aujourd'hui*. Huitième édition revue. Edit. J. Duculot, S. A., Gembloux (Belgique), 1964. 300 FB.

Nulla afficimur admiratione quod tantae molis volumen ex 1194 pag. constans octavam jam editionem attigerit, cum Prof. Mauricii Grevisse Grammatica Franco-gallica quasi per rarum sidus in dizione linguistica excellat.

Hoc praecipuum M. Grevisse est meritum quod animum oculosque in hodiernos scriptores franco-gallicos intentos habet ne quid eorum frustra praetereat, nam nullus grammaticus negare audebit omnem linguam modo usitatam adeo in motu esse ut conti-

nenter fieri non intermittatur. Dum non nulli grammatici interdum hanc instabilem sermonis indolem neglegentes nimis eum in angustis constitutisque finibus defigunt, Prof. M. Grevisse raram virtutem media ac tuta via incedendi habet. Clmi. hujus grammatici eruditio amplissima optimo judicio reique linguistiae aestimatione libratur, nam si lectione plurima opus est ad colligenda elementa Bibliographiae abundantissimae qua ad recentissima scriptorum opera revocamur, prudentius sinceriusque judicium requiritur ad exempla litteraria apte seligenda quae, ut vulgo dicitur, "bonum dicendi usum" constituant.

Ecce materiarum tabula seu index totius operis: Préface (5) Bibliographie (9) Introduction: La science du Langage (23). Première partie: ELEMENTS DE LA LANGUE, I. Notions de Phonetique (26) II. Les Signes de la langue écrite (46) III. Les Syllabes (51) IV. L'Accent d'intensité (53) V. La Liaison de mots (56) VI. L'Elosion (61) VII. Les Mots (66). Seconde partie: LA PROPOSITION (120). Troisième partie: LES PARTIES DU DISCOURS, I. Le Nom (166) II L'Article (240) III. L'Adjectif (277) IV. Le Pronom (402) V. Le Verbe (521) VI. L'Adverbe (782) VII. La Préposition (867) VIII. La Conjonction (965) IX. L'Interjection (1002). Quatrième partie: LES PROPOSITIONS SUBORDONNÉES, I. Propositions substantives (1008) II. Propositions adjectives ou relatives (1039) III. Propositions adverbiales ou circonstanciales (1047) IV. Correspondence des temps (1095) V. Le Discours indirect (1106). Emploi des signes de ponctuation et des signes typographiques (1110). Appendice (1122). Index (1135).

Paucis verbis, M. Grevisse opus, quod "Bon usage" inscribitur quod-

que quasi "speculum linguae franco-galliae" videtur, maximis ubique laudibus a criticis extollitur ("La meilleure grammaire française", ut André Gide asserit), tamquam instrumentum praestantissimum quod prae-termitti non potest ad sermonis quaestiones consulendas atque enondandas commendamus.

*Enciclopedia lingüística hispánica*, tomo II: Elementos constitutivos. Fuentes. Consejo Sup. Invest. Cient., Madrid 1967. Pág. 467.

Carum omnibus exspectatumque venit alterum volumen operis cui est index: "ENCICOPEDIA LINGÜÍSTICA HISPANICA" ab eximiis et hispanis et exteris philologis peritissimis conscriptum.

In duas partes dividitur volumen. Prima parte de elementis quae linguam hispanicam constituunt agitur hoc ordine: *Latinismos* (M. Alvar - S. Mariner), *Helenismos* (M. Fernández Galiano), *Germanismos* (E. Gamillscheg), *Arabismos* (A. Steiger), *Galicismos* (B. Pottier), *Occitanismos* (G. Colón Doménech), *Catalanismos* (G. Colón Doménech), *Lusismos* (G. Salvador), *Italianismos* (J. Terlingen), *Dialectismos* (A. Galmés de Fuentes), *Americanismos* (T. Buesa), *Argot* (C. Clavería), *Préstamos de lenguas modernas* (M. F. Valkhoff).

Quae primae partis capita respondent elementis ex quibus conflatur lingua hispanica antea memoratis. Et in unoquoque capite sic proceditur: Primum brevis fit introductio, deinde historia fit linguistica elementi quod investigatur, denique ad rem phoneticam, morphologicam, lexicographicam elementa deducuntur sive grammaticae sive lexici causa distributa.

Altera parte quae linguae hispanicae fontibus dicatur, haec continen-

tur: *Fuentes literarias* (F. López Estrada), *Fuentes históricas* (E. Sáez), *Fuentes Jurídicas* (G. Tilander); quae omnia superioris praecipuaeque partis optimum sunt complementum.

Hoc secundum volumen maximi ponderis auctoratisque erit adjumento iis in primis qui linguis romanis vacant ad sermonem hispanicum melius cognoscendum in iis quae ad ejus elementa linguistica spectant.

KOESTERMANN, E. — *Cornelius Tacitus, Annalen. Band III: Buch 11-13*. Carl Winter, Heidelberg, 1967. Pág. 349.

KOESTERMANN, E. — *Cornelius Tacitus, Annalen. Band IV: Buch 14-16*. Carl Winter, Heidelberg, 1968. Pág. 410.

Qui Cornelium Tacitum, maximum forte historicorum romanorum, alte cognoscere velint, scitissimum E. Koestermann commentarium deinceps adire debent, tam egregie tamque affabre exaratum, quod in lucem jam inde ab anno 1963 vulgari incepsum est.

Volumen tertium (Band III: Buch 11-13) libros C. Taciti Annalium XI-XII E. Koestermann inestimabili illustravit commentario. Ut aliquo modo lacunae librorum VII-X temporum iniquitate deperditorum et primae partis libri XI completerentur, in introductione auctor rettulit quidquid C. Tacitus ipse de imperio Caligulae deque Claudii imperio ineunte enarravisset, cum historicus romanus anno 56 p. Chr. natus esset eventusque omnes fama hominum atque memoria cognoscere potuisset. Libri XI-XII vergenti jam imperio Claudi di-cantur; libro XIII ab ineunte Nero-nis regno res gestae narrantur. E.

Koestermann tenet Claudio dotes illas optimi principis defuisse maximamque partem ejus inceptorum irritam adversamque exstisset. Quod ad Neronis imperium (lib. XIII) attinet, quantum apud juvenem imperatorem Seneca, Burrus, Agrippina aliquie valuerint auctor subtiliter observat; et, si ejus opinioni obsequimur, liber XIII videtur tamquam primus cuiusdam tragoeiae actus, liber XIV Agrippina Octavioque emortuis actus secundus; actio toto libro XV evolvitur cum Pisonis conjuratione novumque superat culmen in libro XVI cum obitu Thraceae Paeti Bareaeque Solani; quintus tandem actus, cuius narratio perdita est, morte Neronis voluntaria constitueretur.

Volumine quarto (Band IV: Buch 14-16) insequentes C. Taciti XIV-XVI libri praestantissimo quoque commentario ab auctore ditantur, ubi incensa a Nerone Urbs appareat primumque Christi sectatores immanni persecutione vexantur. Amplissimum E. Koestermann commentarium, quod tot quaestionibus historicis, philologicis, litterariis, aestheticis, philosophicis, religiosisque abundat, haud parvo nobis erit adjumento ad explicandum illud "*odium generis humani*" quod Christifidelibus Romae tribuebatur et Neronis furorem quo in scelera plurima et in insaniam "*Domum Auream*" exstruendi praecipitabatur.

Commentarium, quod operis partem maximam constituit, omnino mirandum omnibus arridebit; nulla aliquius momenti quaestio grammaticalis, historica, stilistica sine explicatione temptanda velut in umbra relinquitur, ita ut aegre credimus quo pacto unus idemque investigator vastissimos C. Taciti Annales tam fuse, alte atque absolute commentandos suscipere ausus sit.

BADOSA, E. — *La libertad del escritor*. Edit. Plaza Janés, Barcelona, 1968. Pág. 238.

Henricus Badosa —poeta, interpres rerumque litteriarum praegustator— novum exaravit libellum quo scripta sua in actis diurnis ephemeredibusque annis 1957-1965 vulgata collegit.

Qua collectione, cui auctor indicem "*La libertad del escritor*" indidit, ab incertis temporis condicionibus servantur textus quidam qui testimonia videntur non tantum ipsius scriptoris verum etiam litterarum hispanicarum exterarumque per aetatem nobis admodum propinquam.

HELLENS, F. — *Le fantastique réel*. Société Générale d'Éditions "SODI", Bruxelles, 1968. Pág. 128. 125 FB.

Franciscus Hellens jucundissimo hoc libello, qui "*Le fantastique réel*" inscribitur, quoddam quasi testamentum nobis offert extremo jam atque longinquo itinere litterario peracto.

Vivido dicendi genere eoque pulcherrimis imaginibus ornato auctor simpliciter, benevole, humaniter de arte litteraria legenti quasi ad aurem sensa et cogitata committit non nullis scriptoribus fretus et francogallicis et exteris, qui principem dederunt in operibus poeticis locum somniis, simulacris, figuris aliisque animi commentis cogitatione res depingentes atque praestigiantes.

Nihil est dubii quin nobis F. Hellens libello adjutis in commenticium eumque mirificum et quoddam modo quoque verum poetarum mundum ("je veux dire que le poète avance dans cette espèce de grotte ou de labyrinthe" ut auctoris in prooemio verba memoremus) facilius ingrediebit.

DE TOMASO, V. — *Il pensiero e l'opera di Miguel de Unamuno*. Capelli Editore, Bologna, 1967. Pág. 342. Lire 2300.

Omnium civitatum studiosos saepissime ad se convertit Dnnus. Michael de Unamuno, clmns. in litteris hispanicis scriptor; tamen omnes de ejus vita operibusque quaestiones hucusque non sunt omnino persolutae. Quae causa fuit cur V. de Tomaso, qui litteris hispanicis in primis navat atque amorem, verissimam tentaret effigiem seu imaginem nobis exprimere scriptoris M. de Unamuno, cuius opera adeo in humano ac litterario hispanorum cultu valuerunt, cuiusque vox ac fama per omnes Europae gentes pervagatur.

V. de Tomaso, trigesimo jam anno ab ejus obitu, clmum. scriptorem hispanum professoremque salmantensem revocat: I. Biografia schematica (13-23). II. La personalità (24-86). III. Ansia d'immortalità (87-136). IV. Il problema religioso (137-184). V. I romanzi e i drammi (185-228). VI. La poesia (229-260). VII. Unamuno e la cultura del suo tempo (261-300). VIII. La Spagna di Unamuno (301-320). In extremo opere appendices inveniuntur: Opere di Unamuno; Traduzioni italiani; Bibliografia critica italiana; Indice dei nomi; Indice generale (321-342).

H i s p a n i quoque lectores, qui Dnnum. M. de Unamuno amant et colunt, gratissimo erunt animo erga V. de Tomaso, cum novam lucem immittere constituerit —quod eum putamus jure assecutum— in opera atque cogitata principis recentium litterarum hispanicarum.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

BONDEGGER, H. W. — *Intenta curar tus nervios en dos horas*. Edit. Studium, Madrid, 1967, pag. 83.

Nervorum contentio atque infirmitas hac nostra aetate creberrimus exstat morbus, qui quasi venenum vires hominis immo humani generis corrupcit ac labefactat. Hujus morbi causa in primis videtur et strepitus hodiernae vivendi rationis et celeritas, et impensi laboris rhythmus.

Quo tamen modo hoc malum superandum? Quae H. W. Bondegger de hac nervorum contentione habet, nostris temporibus maximi momenti sunt habenda; ratio ac via corpus animumque relaxandi ("método de relajación"), quam totis auctor commendat viribus, quamplurimis hominibus, qui ea sunt exercitati, remedium attulit validissimum.

Sese "relaxare" nihil aliud est quam distendere, vincula quasi solvere, redire ad statum quendam naturalem salutiferumque; quod recte vetustissima quadam nititur sapientia, cui auctor recentiorem formam indidit hac nova via ac ratione qua in praesentia ipsi facillime commodeque possumus exerceri.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

FERNÁDEZ Soto, J. — *Celebraciones bíblicas*. Edit. Studium, Madrid, 1967, pag. 258.

Hoc opus —n. XIII corporis seu collectionis cui index est Liturgia— aptissimum ducimus ad vota Concilii Vaticani II perficienda, id est, privatae simulque communis orationis studio satis facere.

Spiritus harum celebrationum biblicarum earumque structura ita cum cultu liturgico convenient ut auctor, quod sibi proposuerit, id sit assecutus: consilium illud conciliare ad effectum adducere, quo vehementer commendata.

tur ut pia fidelium exercitia paraliturgica ex ipsa liturgica promanent ad eamque perducant.

Auctor primum lineamenta ac formas celebrationis adumbrat eaque fusius pag. 11-18 explicat; postea celebrationes in universum annum liturgicum nobis proponit, quarum in unaquaque quamplurimae lectione ad majorem varietatem consignantur simul atque elementa ad homiliam peragendam argumento celebrationis consentaneam offeruntur.

Itaque harum celebrationum bibliarum ope earumque spiritu quo imbutae violentur, nihil dubii est quin ad orationis communis publicaeque intimam naturam pulchritudinemque christifideles simus perventuri.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

XANDRO, M. — *De cara al porvenir*. Edic. Studium, Madrid, 1967, pag. 238.

Librum talem tantummodo offerre nobis potest ille qui ut Professor M. Xandro longos duxerit annos in re paedagogica experienda. Auctor juvenes —in triviis vitae quasi constitutos— adjuvare contendit ad seligendum ingrediandumque iter ante eorum oculos ostendens quas res facere possint, quas difficultates sint inventuri, quidque exspostulet cujusque hominis vocatio. M. Xandro enim id sumnum est propositum ut omnis homo se ipse feliciter inveniens locum suum feliciter etiam occupet atque retineat.

Quapropter juvenem vehementer admonet: quae ipse prudenter hodie faciat, ea in posteram aetatem speciem signatura esse atque conformatura.

Non nullae imagines passim per librum distributas, quae auctor explicat, illustrant jucundioremque redundunt lectionem totius operis, cuius inter praecipua capita caput eminet illud quod indoli ingenioque hominis dicatur (p. 71-120), in quo appareat scriptor illius operis ab omnibus aestimatissimi quod "Pasiones y carácter" inscribitur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

PIZARRO JIMÉNEZ, E. — *Los jóvenes y la responsabilidad*. Edit. Studium, 1967, pag. 185.

Operis regula ac norma mihi videntur ea auctoriis bene apprimeque cogitata ratio seu sententia: juvenes sese in adultam aetatem ducere ipsos debere idque facere juvenum esse imprimis, etsi eorum qui ad plenitudinem jam vitae pervenerunt, auxilio carere nequaquam debeant.

Quapropter juvenum interest officio suo satis facere, muneris sui conscientiam habere, res magni ponderis summaeque gravitatis suscipere. Quibus omnibus juvenes erudiuntur hoc libro cuius lectionem nihil obscuram sed luculentam invenimus, simul atque eam putamus adolescentibus qui sese perfectos absolutos que homines instituere exoptant, magnum auxilium allaturam.

PETRUS HERRANZ, C. M. F.

# B I B L I O G R A P H I A

ZIEGLER, K. - SONTHEIMER, W. — *Der Kleine Pauly, Lexicon der Antike*: Band II, Lieferung 12 (1966, DM 30). Lieferung 13 (1967, DM 20). Band III, Lieferung 14 (1967, DM 20). Lieferung 15 (1968, DM 20). Lieferung 16 (1968, DM 10). Alfred Druckenmüller Verlag, Stuttgart.

Quique alios lectoribus Palestra Latinae fasciculos offerimus operis maximi momenti auctoritatisque in iis quae quacumque ratione ad antiquitatis classicae scientiam pertinent. Ut superiores fasciculi, quos legendos suo tempore praebuimus, hi omnes accurate sunt compositi a peritissimis rerum singularum investigatoribus K. Ziegler et W. Sontheimer moderantibus. Non nulla de unoquoque fasciculo dicemus.

FASCICULUS 12: a verbo *Gnosis. Gnostiker* usque ad *Hypocaustum*. In quibus eminent quae tractantur sub vocibus verbi causa: *Gratianus* (c. 870-871), *Gymnastik* (c. 887-892), *Hades* (c. 903-905), *Hadrianus* (c. 907-911), *Hafenanlagen* (c. 912-916), *Hannibal* (c. 934-937), *Haus* (c. 957-961), *He-kataios* (c. 976 - 982), *Herakles* (c. 1049-1052), *Hércules* (c. 1054-1057), *Hermes* (c. 1069-1076), *Herodes* (c. 1090 - 1098), *Herodotos* (c. 1099-1105), *Hippocrates* (c. 1164-1172), *Hispania* (c. 1185-1189), *Homeros* (c. 1201 - 1208), *Horatius* (c. 1217-1225). Huic fasciculo confiendo quadraginta duo viri in re periti operam navarunt.

FASCICULUS 13: a verbo *Hypokrites* ad verbum *Juno* (col. 1281-1584). Majoris momenti ducimus quae notamus: *Iesus* (c. 1344-1354), *Imperator* (c. 1377-1381), *India* (c. 1388-1393), *Isokrates* (c. 1467-1472), *Italia*

(c. 1479-1484), *Julianus* (c. 1514-1520), *Julius* (c. 1521-1553), *Iunius* (c. 1555-1563), *Juno* (c. 1563-15688). Triginta quinque auctores hunc fasciculum conscripserunt.

FASCICULUS 14: a verbo *Juppiter* usque ad verbum *Kotys* (col. 1-320). Ut in recensendis superioribus fasciculis nunc praecipua significari oportet: *Juppiter* (c. 1-7), *Iuris Prudentia* (c. 9-18), *Kalender* (c. 58-63), *Kallimachos* (c. 73-79), *Kleopatra* (c. 246-251), *Komödie* (c. 281-291), *Korinthos* (c. 301-305) aliaque. Septuaginta quinque scriptores operam navarunt in fasciculo conscribendo.

FASCICULUS 15: a verbo *Kotys* ad *Licinius* (col. 321-640). Ad quamdam lectorum notitiam haec fusius tractata notantur sub vocibus: *Kronos* (c. 355-364), *Kybele* (c. 383-389), *Kyrios* (c. 413-417), *Kyros* (c. 417-421), *Lares* (c. 494-496), *Latini*, *Latium* (c. 506-509), *Legio* (c. 538-546), *Lex, leges* (c. 603-609), *Lybie* (c. 628-632), *Licinius* (c. 634-640) aliaque memoratu digna. In quo fasciculo exarando septuaginta viri periti operam contulerunt.

FASCICULUS 16: a verbo *Licinius* ad verbum *Lyseis* (col. 641-832). Haec tandem inter plura sub vocibus: *Limes* (c. 652-665), *Livius* (c. 689-698), *Logos* (c. 710-715), *Lokris, Lokroi* (c. 717-725), *Lucilius* (c. 751-755), *Lucretius* (c. 757-764), *Lukianos* (c. 772-777), *Lykurgos* (c. 822-826) aliaque. Quinquaginta novem scriptores fasciculum exararunt.

Juxta verba sub vocibus fusius tractata memoranda, alia quamplurima inveniuntur quae mores, instituta, locos, religionem ceteraque graecorum et romanorum illustrant.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"  
venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET  
LAURIA, 5 BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Grammatica Latina	ptis.	60
" Repetitorium	"	60
" De Orthographia latina (altera editio)	"	20
" Index Orthographicus	"	5
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio)	"	90
"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI		
JIMÉNEZ, Historiae Sacrae compendium (5 edit.)	ptis.	10
" Epitome Historiae Graecae (6 edit.)	"	12
* RAMOS, Cornelii Nepotis Vitae	"	10
* MIR, Ciceronis epistulae selectae (2 edit.)	"	12
* JIMÉNEZ, Ciceronis pro Archia poëta (2 edit.)	"	10
" Ciceronis in Catilinam (2 edit.)	"	10
" Caesaris, De bello civili	"	10
RAMOS, Ciceronis pro Q. Ligario oratio	"	10
MARTIJA, Vergili Aeneidos (lib. II, 2 edit.)	"	12
MARTIJA, Prudenti Carmina selecta (2 edit.)	"	10
SARMIENTO, Martialis Epigrammata	"	8
* ZULOAGA, Horati Carmina Selecta	"	12
RUIZ, Homeri Odyssea (lib. I)	"	14
RAMOS, Xenophontis Anabasis	"	12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, ptis. 6

# Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissarum:

- 165 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. II)  
166 Tàcit - Annals (vol. III). Llibres V - VI, XI  
167 Polibi - Historia (vol. II). Llibres XI - XII.  
168 Xenofont - L'expedició dels deu mil (vol. I).  
Llibres I - III.

### Subnotations mittantur ad:

**EDITORIAL ALPHA, S. A.**  
Vía Lavetana, 30 - BARCELONA